Property of

CBF

Please return to

Graduate Theological

Union Library

Bibl. Stud.
O.F.M.
California

OPERA EIUSDEM AUCTORIS

Tractatus de Iubilaeo anni sancti aliisque iubilaeis. In 8°, XVI-357 pp. 1901. Roulers, De Meester. . Fr. 3—

Constitution « Conditae a Christo ». Texte et commentaire. In 18°, 102 pp. 1902, Bruges, Beyaert. Fr. 1,25

Des Censures qui atteignent la liquidation des biens ecclésiastiques et des Congrégations religieuses. Collection « Science et Religion » . . . .

Directoire canonique à l'usage des Congrégations à voeux simples. In 8°, XVII-442 pp. Abbaye de Maredsous . . . . . Fr. 5—

Praeparatur:

Acta Pii Pp. IX, editio accuratior.

R. P. D. PETRUS BASTIEN O. S. B.

DE FREQUENTI
QUOTIDIANAQUE COMMUNIONE

AD NORMAM DECRETI

" SACRA TRIDENTINA SYNODUS „

Accedunt variae appendices
praecipua documenta continentes

254.446
B326.
#4344
THEOLOGICAL
LIBRARY
O. F. M.
SANTA BARBARA
NO. 18,958
BIBL. STUD.
O. F. M.
CALIFORNIA

ROMAE
DESCLÉE, LEFEBVRE ET SOCII EDITORES
S. Sedis Apostolicae et Ss. Rituum Congregationis Typographi
Piazza Grazioli, (Palazzo Doria)
—
1907

Omnia iura vindicantur ad normam legum

Imprimi potest.

† Hildebrandus

Abbas S. Anselmi de Urbe, Primas O. S. B., 30 maii 1907.

IMPRIMATUR
Fr. Albertus Lepidi O. P., S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR
Ioseph Ceppetelli, Patr. Const. Vicesg.

AD LECTOREM

IMMENSA divinae bonitatis beneficia ex SS. Eucharistia manantia qui studiose diligenterque considerat, non potest non exclamare cum propheta: « Non est alia natio tam grandis, quae habeat deos appropinquantes sibi, sicut adest nobis Deus noster » (Deuter. IV. 7.). Unigenitus enim Dei Filius, qui, se nascens socium, moriens nobis dederat in pretium, ut tanti beneficii iugis inter homines maneret memoria, divinum illud atque admirabile sui amoris pignus, SS. Eucharistiam scilicet, reliquit, non aliam certe ob causam quam ut homines vitam haberent et abundantius haberent.

Nec reipsa, in tanta flagitiorum colluvie nunc societatem undequaque inundante, satis

BIBL.
O.

mirari valent fideles divinissimam benignitatem Salvatoris Nostri, qui largius abundantiusque vult effusos amantissimi Cordis sui thesauros. Enimvero, cum rursus invalescat adversus Eum ea vox nefaria: « *Nolumus hunc regnare super nos* » (Luc. XIX, 14), nefariumque propositum: « *Eradamus eum* » (Ierem. XI, 19), imo atque conscelerata illa dementia eo procedatur, ut quis insaniens se lumina coelorum iactaret exstinxisse, Ipse, memor illius caritatis, qua pro crucifigentibus Patrem orabat, contra impietatis pravitatisque perniciosam luem omnibus validissimum praebet remedium, ad sacram alimoniam eos quotidie instantius incitando: « *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* » (Matt. XI, 28).

Ecquis unquam illam benignam recusabit imitationem? Numquid in SS. Eucharistia illa nos reficiendi promissio non fideliter impletur? Quotidie equidem impletur, si quotidie ad Eum accedas, si quotidie Ipsum sumas, qui est panis pinguis, praebens delicias regibus, panis frugum terrae uberrimus. In hoc suavissimo Christi convivio certissima salus et vita promittitur, prae-

sidiumque exhibetur firmissimum: esurienti panis ille est vivificus et indefectibilis cibus, aegrotanti efficacissimum infirmitatis medicamentum, percusso a perversarum tentationum morsibus serpens aeneus de cruce se adspicientes sanans, vinum germinans virgines, coeco lumen, debili virtus, moerore afflicto laetitia. Ne timeat ergo ad hunc salutiferum panem accedere, qui velit cor in Domino habere confirmatum ad vincendos iniquissimos daemones, hominum saluti dolose crudeliterque insidiantes. Nemo hunc panem uberrimum et pinguissimum, qui delicias praebet aeternas, accipere dubitet; nemo qui timeat frequenter, frequentius atque adeo quotidie panem hunc sumere compositum in utero Virginis, in ara crucis excoctum.

« Absit igitur, inquit LEO XIII, pervagatus ille error perniciosissimus opinantium Eucharistiae usum ad eos fere amandandum esse, qui vacui curis angustique animo conquiescere instituant in quodam vitae religiosis proposito. Ea quippe res, qua nihil nec excellentius nec salutarius, ad omnes omnino, cuiuscumque demum muneris praestantiaeve sint, attinet, quot-

quot velint (neque unus quisquam non velle debet) divinae gratiae in se fovere vitam, cuius ultimum est adeptio vitae cum Deo beatae » [1]. Quam quidem mentem plene consequitur decretum « *Sacrae Tridentina Synodus* » auctoritate SSmi Domini Nostri Pii PP. X. nuper promulgatum.

De cuius decreti ratione et virtute solliciti, quae brevioribus annotationibus in periodico *Revue théologique française* edideramus, iampridem maiori studio diligentiorique cura elaborare cogitabamus moliebamurque. At, uti in humanis non raro contingit rebus : homo proponit, disponit vero Deus : aliis siquidem distracti obligationibus hanc modestam opellam divulgandam hucusque cogebamur differre. Nobis certe non alium huius suscepti laboris finem, quam frequentem quotidianamque Communionem propagandam iuxta mentem voluntatemque Ecclesiae, propositum profitemur. Quod ut assequamur aptius, decreti doctrinam quam diligentissime secuti sumus, dissertationem scilicet dividendo in duas partes : alteram historicam, alteram

[1] Encycl. « *Mirae caritatis* ».

doctrinalem seu moralem. In priori parte traditionem ecclesiasticam, accurate inspectis fontibus, a primis saeculis retulimus; in altera vero, quae decrevit Ecclesia, pro modulo nostro explicavimus. Speramus autem nos ostensuros frequentationem SS. Eucharistiae ex amore Christi receptae utiliorem ac fructuosiorem esse, quam abstinentiam ab ea ex irreverentiae metu, aut alia qualicumque verecundia. Ipse Christus Dominus faxit ut hanc veritatem omnes, ac praesertim sacerdotes et confessarii, intueantur.

Si quid, candide lector, tibi hanc elucubrationem volventi placebit minus, ingenii conditioni tribue scribentis; si quid vero adridebit, hoc Deo refer totum bonorum omnium auctori. Vale, pie lector, et conatus nostros votis tuis et precibus iuva.

Romae, in sollemnitate Corporis Christi, die 30 Maii 1907.

INDEX MATERIAE

PAG.

PRAEFATIO v

SECTIO PRIMA.

De frequenti quotidianaque Communione Expositio historica.

CAPUT I. — Testimonia evangelica 1

CAPUT II. — Patrum doctrina a saeculo primo usque ad saeculum decimum tertium 6

§ 1. Documenta a primo et secundo saeculo 6

§ 2. Documenta a saeculo tertio ad quintum 10

§ 3. Documenta a saeculo quinto ad saeculum decimum tertium 27

CAPUT III. — Doctrina Scholasticorum usque ad S. Concilium Tridentinum 38

CAPUT IV. — Doctrina theologica a S. Concilio Tridentino usque ad S. Alphonsum Mariam de Ligorio 51

CAPUT V. — Doctrina S. Alphonsi Mariae de Ligorio, Doctoris Ecclesiae, et aliorum Theologorum recentiorum . . . 65

SECTIO SECUNDA.

De frequenti quotidianaque Communione ad normam decreti: « Sacra Tridentina Synodus ».

CAPUT I. — De dispositionibus in genere 73

CAPUT II. — De dispositionibus necessariis et sufficientibus. 78

CAPUT III. — De dispositionibus congruis et commendandis. 95

Caput IV. — De Praeparatione et Gratiarum Actione . . 101
Caput V. — De Munere Confessarii, Parochi et Praedicatoris. 106
Caput VI. — De frequenti quotidianaque Communione in religiosis Familiis 117
Caput VII. — De Communione in Seminariis, aliisque iuventutis Institutis atque Puerorum 123
Caput VIII. — Clausulae dispositivae 132

APPENDICES.

Praecipua de frequenti quotidianaque Communione Documenta.

I. Quaedam Concilii Tridentini capita de SS. Eucharistia . 135
II. Epistola S. Congreg. Concilii ad Episcopum Brixiensem . 138
III. Decretum S. Congr. Concilii circa SS. Communionis frequentiam iussu Innocentii XI. editum: « *Cum ad aures* » . 141
IV. Relatio et decisio S. Congr. Concilii: De Superiore concedente frequentiores quam praescribit regula Communiones. 146
V. Instructio S. Congr. de Prop. Fide: Quomodo a confessariis sit moderandus accessus ad SS. Eucharistiam . . . 150
VI. Alia instructio S. Congr. de Prop. Fide: de frequenti ad SS, Eucharistiam accessu 152
VII. Ep. S. C. Epp. et Reg. ad Episcopum Baiocensem super frequentia S. Communionis 154
VIII. SS. Rituum Congr. responsio circa consuetudinem quotidie communicandi 156
IX. S. Poenitentiariae responsum circa communionem quotidianam. 157
X. S. C. Epp. et Reg. responsum circa Calendarium Communionum, quae solent praescribi in quibusdam familiis religiosis . 158
XI. Congregationis S. Officii varia responsa de accessu ad S. Synaxim. 159
XII. S. C. Epp. et Reg. decretum « *Quemadmodum* » . . 162
XIII. S. C. Epp. et Reg. circa decreti « *Quemadmodum* » intelligentiam. 166
XIV. Encyclica Leonis XIII de SS. Eucharistia « *Mirae caritatis* » 169
XV. Decretum SS. D. N. Papae Pii X: « *Sancta Tridentina Synodus* 187
XVI. S. C. Indulgentiarum decretum, 14 februarii 1906: qui communione quotidiana utuntur, indulgentias lucrari possunt absque obligatione confessionis hebdomadariae 194
XVII. Sacerdotale Eucharisticum Foedus 199

XVIII. SS. D. N. Pii Pp. X Breve, 10 augusti 1906 privilegiis fovens consociationem « Sacerdotalis Eucharistici Foederis » . 202
XIX. Decretum S. Congr. Concilii de S. Communione infirmis non ieiunis, cum annotationibus 205
XX. S. Congr. Indulgentiarum Litterae 210
XXI. Instructiones Episcoporum Borussiae ad clerum . . 214
Bibliographia 222
Index onomasticus 227
Index analyticus 231

De frequenti quotidianaque Communione

SECTIO PRIMA

DE FREQUENTI QUOTIDIANAQUE COMMUNIONE HISTORICA EXPOSITIO

CAPUT I.

TESTIMONIA EVANGELICA.

1. Praeter plura in Veteri Testamento testimonia, quibus Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum multipliciter praefiguratum est et designatum, quaeque Sancti catholicique Doctores ad illud retulerunt [1], ipsemet Dominus Iesus Christus factis et verbis se hominum esse vitam docuit.

2. Sane non uno dumtaxat modo hominum vita est Christus, qui adventus sui inter eos causam professus est eam, ut afferret ipsis certam vitae plus quam humanae ubertatem: « *Ego veni ut vitam habeant et abundantius habeant* » [2]. At quoniam haec ipsa vita, quam nobis dedit Christus, expressam habet similitudinem cum vita hominis naturali, sicut altera cibo alitur, ita et alteram suo sustentari cibo oportet et augeri. Cum enim saepe per pec-

[1] Vgr. Exod. XVI, coll. Ps. 77, 24; Sapient. 16, 20; Ps. 101, 5, 103, 15; Prov. 9, 5, etc.

[2] Ioh. X, 10.

catum moriamur infirmitateque nostra deficiamus, Ipse ait: « *Ego sum panis vitae* », « *Hic est panis de coelo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur* », et postea: « *Ego sum panis vivus qui de coelo descendit; si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum* », et « *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita* » [1]. Et quo intelligas Eum de huius Sacramenti usu loqui, subiungit: « *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis* »: « *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus; qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo* ».

3. Redemptorem nostrum hic de SS. Sacramenti usu loqui vix dubitari potest, quod et catholici interpretes unanimi fere ore fatentur. Nec mirum: ipsemet enim Dominus verborum suorum aperuit sensum. Etenim quum nonnulli ex audientibus Magistri sermonem durum invenissent, Ipse ab errore eos liberat, docens non carnaliter esse intelligenda, quae dicebantur, sed magis spiritualiter: oportere eos videlicet comedere sub speciebus panis, sicut Ipse postea in ultima coena instituit; aliis verbis, verba sua non esse intelligenda de cibo materiali, verum de coelesti illo cibo qui reficit animam eamque gratia supernaturali coelestibusque ditat virtutibus.

4. Ex comparatione instituta cum manna ab Hebraeis in deserto manducata atque cum materiali cibo ad sustentandam refocillandamque vitam naturalem sumpto, non est dubitandum, hisce verbis commendasse Christum, implicite saltem, frequentem, imo quotidianam, communionem; sicque tota catholica traditio intellexit, prout constat ex Catechismo Romano: « Quare Parochi partes erunt,

[1] Ioh. VI, 41 sqq.

fideles crebro adhortari, ut, quemadmodum corpori in singulos dies alimentum subministrare necessarium putant: ita etiam quotidie hoc Sacramento alendae et nutriendae animae curam non abiiciant; neque enim minus spirituali cibo animam, quam naturali corpus, indigere perspicuum est » [1].

5. Nil exinde mirum si Eucharistia panis noster quotidianus vocetur. Locus equidem iste S. Matth. VI, 4: « *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie* » est interpretationum varietate aliquantulum implicatus: Patres enim alii de corporali pane, alii vero de pane eucharistico, alii denique de utroque intellexerunt [2]. Porro si mentem nostram

[1] Catech. rom. *de Eucharistia*, n. 53. ed. Tornaci 1890. Ad rem quoque praeclare scribit Salmeron: « Sicut ergo corpus in animali vita sine suo corporali cibo, atque illo quidem frequenter eso, non sustinetur; ergo nec anima ut vivat in Christo et Christus in ea, sine cibo suo saepe sumpto nequaquam vivet. Estque prudenter annotandum Eucharistiam dici cibum, non quemlibet fructum singularem, qui certo anni tempore venire solet, non pharmacum aliquod aut medicamentum, vel quid simile, quod raro sumi solet; sed communem cibum et familiarem nobis esse debere sacram Eucharistiam, quemadmodum panis, caro et vinum ad tuendam vitam usurpantur; quare Dominus magna experientia sub speciebus panis et vini, magis quam sub aliis quae in cibum serviunt, hoc sacramentum instituere voluisse ». *Comment. in evangelicam historiam* t. IX, p. 349 ssq. ed. Coloniae Agripp. 1604.

[2] Cf. Tertull. *de oratione* c. VI, P. L, t. 1, 1161; S. Cyprian. *de orat. domin.* c. 18. ibid. t. 4, 531; S. Ambros. *de sacramentis* l. V, c. 4, n. 25, ibid. t. 16, 452; S. Hilar. *fragment.* VII, ibid. t. 12, 725; S. Hieronym. *Comment. in Ezechiel.* l. VI, c. 18. ibid. t. 25, 175; S. Chromat. Aquil. *in Evang. S. Matth.* tr. XIV. c. 5, ibid. t. 20, 361; S. August. serm. 57, c. 7; serm, 58, c. 4. ibid. t. 38, 389, 395, coll. tamen *de sermone Domini in monte* l. II. n. 26, ibid. t. 34, 1280; Cassian. collat. IX, *de orat.*, c. 21, ibid. t. 49, 794 sq.; S. Petr. Chrysol. serm. 67, 68, 71, ibid. t. 52, 392, 395, 402; S. Hildef. Tolet. *lib. de cognitione baptismi*, c. 136, ibid. t. 104, 102; Haimo Halberst. hom. XIII *de sanctis*, ibid. t. 118, 802; Hugo Rothomag. *de fide cathol. et orat. domin.*, n. 6, ibid. t. 193, 1333; Gunterius. monach. cisterc. *de oratione, ieiunio, et eleemosyna*, l. IX, c. 12, ibid. t. 212, 185 sq.; Innocent. III *de sacro altaris*

aperire liceat, ultima opinio probabilior textuique magis consona nobis videtur, scilicet quarta illa orationis dominicae petitio imprimis panem corporalem respicit — natura enim prius vult vivere, deinde bene vivere — deinde autem intelligitur etiam de pane eucharistico. Et revera in Scripturis panis ordinarie ponitur pro victu et cibo [1]; unde dictio frequens est panem manducare, panem apponere [2]; nec est ergo cur recedatur a sensu obvio. Praeterea contextus hanc suadet interpretationem; etenim si intelligitur directe de pane spirituali, haec petitio eadem videtur cum antecedente, vel in ea includitur, secundum illud: « *meus cibus est, ut faciam voluntatem eius qui misit me* ». Deinde spiritualem cibum potius deceret petere non pro hodierno solum die, sed: da nobis in aeternum. Ceterum quid pro anima et vita animae indigeamus, in subsequentibus efflagitare docemur. Unde ex verbis istis et ordine petitionum directa explicatio de victu corporali est retinenda [3].

6. Nihil autem officit quominus intelligatur quoque quarta ista petitio de pane eucharistico, et sic eam Eccle-

mysterio, l. IV, c. 44, ibid. t. 217, 885; S. Thomas, *Summa theol.* III, q. 80, a. 10, ad 1^um^; opuscul. VII *expositio devotissima orationis dominicae, quarta petitio;* S. Bonaventura, *expositio orationis dominicae*, opera omn. t. VII, p. 654, Quaracchi 1895, non constat tamen hoc opus esse huius S. Doctoris, etc. etc. Cf. etiam praeclarissimum opus Emi Iosephi Calasanctii Card. Vives, cui titulus: *Expositio in Orationem Dominicam iuxta Traditionem patristicam et theologicam*, Romae, 1903, ubi Patrum Doctorumque expositiones atque explanationes abunde reperies.

[1] Genes. XXVIII, 20; Eccles. IX, 11; XI, 19; Nehem. V, 14, 18 etc.

[2] Genes. XLIII, 31; I Reg. XXVIII, 20; XXX, 12; III Reg. XIII, 16; XXI, 7; Ierem. XLI, 1; LII, 33, etc.

[3] Cf. Knabenbauer, *comment. in Evang. S. Matth.*, t. I, 261 sq.; Maldonat. *in quatuor evangelistas com.* in Matth. c. 6. Catech. roman. *orationis dominicae quarta petitio*, n. 6 sqq.

sia eiusque Doctores plerumque sunt interpretati, hortantes nimirum homines ut quotidie non modo pane materiali corpus nutriant, verum et pane coelesti, qui dat vitam divinam unitque Christo, animam reficiant. Et revera Eucharistia vere panis est noster quotidianus, quia ea quotidie indigemus, cum quotidie Deum offendamus tentationibusque maligni spiritus simus expositi; panis est vere supersubstantialis, et quis potest alius panis supersubstantialis, et excellentissimus peti, nisi ipsemet Christus in Sacramento sumendus, qui est Panis vivus, quem qui comederit, non morietur in aeternum? Incredibile enim est, quanta voluptate ac laetitia perfundat animas piorum hic panis tum, cum maxime terrenis molestiis, et incommodis conflictantur.

7. Enimvero Ecclesiam, magistram columnamque veritatis, ita intellexisse testem habemus catechismum romanum, qui, postquam verbum *panem* de pane corporali et de verbo Dei exposuerit, addit tertiam interpretationem: « Praecipue autem panis noster est ipse Christus Dominus, qui in sacramento Eucharistiae substantialiter continetur. Hoc inexplicabile pignus caritatis dedit nobis rediturus ad Patrem, de quo dixit: « *Qui manducat carnem meam, et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo* » [1]. « *Accipite et manducate: hoc est corpus meum* » [2]. Ea petent Parochi quae ad fidelis populi utilitatem pertinebunt, ex eo loco, quo separatim huius sacramenti vis ac ratio continetur. Et vero dicitur hic panis noster, quia fidelium modo hominum est, id est eorum, qui caritatem cum fide coniungentes, poenitentiae sacramento sordes eluunt peccatorum; qui non dimittentes memoriam, se Dei filios

[1] Ioh. VI, 57,
[2] Matth. XXVI, 26; I Cor. XI, 24.

esse, divinum sacramentum sumunt et colunt, quanta maxima possunt sanctitate ac veneratione. Quotidianus vero quamobrem dicatur, in promptu duplex ratio est: altera, quod in sacris christianae Ecclesiae mysteriis, quotidie et offertur Deo, et datur pie, sancteque postulantibus; altera, quod quotidie sumendus est, vel certe ita vivendum, ut quotidie, quoad eius fieri possit, digne sumere queamus. Audiant, qui contra sentiunt, nisi longo intervallo salutaribus his epulis animae vesci non oportere, quid sanctus dicat Ambrosius: « Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis? » [1].

Concludendum igitur ex verbis Domini videtur Sanctissimae Eucharistiae frequentationem, imo quotidianam eius receptionem, laudabilem, utilem, maximeque fructuosam atque valde fidelibus omnibus esse commendandam, simulque ardentissimum esse desiderium divini Salvatoris, qui dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis, ut homines, non modo caritate, verum etiam divina eius in eis praesentia per Eucharistiae susceptionem sacratissimo eius Cordi sese uniant, quo fieri potest, intimius et frequentius.

CAPUT II.

PATRUM DOCTRINA A SAECULO PRIMO USQUE AD SAECULUM DECIMUM TERTIUM.

§ 1. — Documenta e primo et secundo saeculo.

8. Res equidem sat ardua videtur demonstrandi quotidianae aut frequentioris communionis usum iam ab Ecclesiae incunabulis exstitisse. Documenta enim quae ad

[1] L. c. n. 17.

nos usque pervenerunt de receptione quidem huius sacramenti loquuntur. tacent vero de eius frequentia, nec hucusque removeri potuit obscuritas illa quae priorum fidelium consuetudinem obnubilat. Unde absolute probari nequit tribus prioribus saeculis fideles indiscriminatim quotidie communicasse, quum argumenta, quae ordinarie in medium proferuntur, non sint convincentia.

9. Ita speciatim textus Act. Apost. II, 42: « *erant perseverantes in doctrina Apostolorum et in communicatione panis* [1], *et orationibus* ». Connexionem aliquam exstitisse inter sacrificii eucharistici celebrationem atque fidelium communionem non est cur negetur; claris enim verbis illud affirmat S. Iustinus: « Postquam vero is qui praeest preces absolvit, et populus omnis acclamavit, qui apud nos dicuntur diaconi, panem et vinum et aquam, in quibus gratiae actae sunt, unicuique praesentium participanda distribuunt et ad absentes perferunt » [2]. Sed inde sequi non videtur usus quotidianus communionis: tota enim haec quaestio ab alterius solutione pendet, scilicet utrum quotidie in primordiis Ecclesiae fuerint sacra mysteria celebrata; quod quidem nondum constat. Ab initio christiani dominica conveniebant [3]; in hebdomada vero precipue diebus sta-

[1] In versione syriaca legitur: « *in fractione Eucharistiae* ».

[2] *Apolog.* I, c. 65, P. G. VI, 427, coll. S. Cyprian. *de lapsis*, c. 25, P. L. t. 4, 499.

[3] Act. Ap. XX, 7, 11; I Corinth. XVI, 2, de quo Battiffol: *Etudes d'histoire et de théologie positive* 2. série, Paris, 1906, 3. edit. p. 30-34; Apocal. I, 10; ep. Barnabae XV, 9. ed. Funk: *Patres Apostolici*, Tubingae 1901, t. I, p. 85 sq.; Doctrina XII Apost., XIV, 1 « Die Dominica autem convenientes frangite panem et gratias agite.... » ibid. p. 33; S. Ignat. ad Magnes. IX, I, ibid. pag. 239; Plinius ep. 10, 97 etc.

*

tionum [1]. Ceterum si iam eo tempore usus fuisset generalis quotidie liturgiam celebrandi, vix intelligerentur frequentes S. Ignatii ad S. Polycarpum exhortationes: « Crebrius conventus fiant; nominatim omnes quaere » [2]. Textus igitur Actuum, quamvis praxim communionis manifestet, eius tamen frequentiam non indicat [3].

10. Eadem dicenda videntur de textu S. Pauli in I ad Corinth. XI, 20 sq.: « *Convenientibus vobis in unum, iam non est dominicam coenam manducare* » etc., quae supponunt in conventibus factum communionis, huius autem receptionis frequentiam minime notant, neque nostrum est illam, nondum solutam, de agapis christianis dirimere quaestionem [4].

11. Neque pariter ad aliud recurrendum est documen-

[1] Pastor Herm. similit. V. 1. ed. Funk cit. p. 529 sqq.; Doctrina XII Ap. cit. VIII, 1 ubi feriae 4. et 6. designantur, ibid. p. 19, coll. Tertull. *de oratione* c. 19, P. L. 1, 1286, *De ieiunio*, 2, 14 ibid. t. 2, 1007, 1024. Cf. D. Germain Morin, O. S. B. *Jours aliturgiques*, Dictionnaire d'archéologie chrétienne et de liturgie, t. 1, 1218 seqq.

[2] Ep. ad Polyc. II, c. IV, 2. ed. Funk cit. p. 291; ep. ad Ephes. XIII, 1, ibid. p. 225: « Date itaque operam, ut crebriores congregemini ad gratias Deo agendas et ad eum laudandum ».

[3] Apposite omisimus alium locum Act. II, 46-47: « *quotidie quoque perdurantes unanimiter in templo, et frangentes circa domos panem; sumebant cibum cum exultatione et simplicitate cordis* ». Καθ' ἡμέραν τε προσκαρτεροῦντες ὁμοθυμαδὸν ἐν τῷ ἱερῷ κλῶντές τε κατ' οἶκον ἄρτον. — et non τὸν ἄρτον — μετελάμβανον τροφῆς ἐν ἀγαλλιάσει καὶ ἀφελότητι καρδίας; probabilius enim textus non applicatur Eucharistiae, uti docent plures, vgr. Beelen, *Het nieuwe Testament* ad h. l.; Battiffol l. c. et *Bulletin de littérature ecclésiastique* 1904, p. 293-296; *Collationes brugenses* t. X, p. 218 sqq. 325 sqq. contra Funk, *Histoire de l'Eglise*, t. I, p. 100; Högl, *Ueber den oftmaligen Empfang der heiligen Kommunion in allen Zeiten, in Theol. prakt. Quartalschrift.* Linz, 1898, p. 847; Probst, *Verwaltung der Eucharistie als Sacrament*, p. 103, Tubingen, 1857, *Kirchenlexicon*, V. Communio sub. VII etc.

[4] Cf. *Dictionnaire d'archéol.* cit. V. Agapes, t. I, 775-848 ubi diversae sententiae discutiuntur.

tum, scilicet ad canonem 10^um Canonum Apostolorum: « Si quis cum excommunicato, vel in domo, una precatus fuerit, is segregetur » [1]. Nam, praeterquam quod haud facile huius canonis intelligatur sensus, ad praxim priorum saeculorum probandam nihil iuvat, cum plurium doctorum iudicio illud opus reponendum sit inter documenta saeculi 3^ii.

12. Quid inde? Ut nobis videtur, quanquam allata documenta vim absolute probativam non habeant, non sunt tamen prorsus reiicienda, cum potius factum saltem frequentis communionis supponant quam asserant. Cum enim ex disciplina tunc vigente in quocumque sacro conventu fideles communicarent, eo frequentior fuit fidelium communio, quo frequentiores fuerunt huiusmodi conventus. Iam vero ex supra allatis testimoniis scimus iam saeculo 2° praeter diem dominicam, statutis diebus i. e. stationum, fuisse celebrata divina mysteria, in quibus christiani Corpus ac Sanguinem Domini recipiebant [2].

13. Equidem mos, persecutionum tempore et postea in certis adiunctis, erat, peractis mysteriis, SS. Eucharistiam in privatas domos deferendi, ibidemque servandi et manducandi, de quo plures loquuntur Patres [3]; nullibi

[1] Mansi, Coll. Concil. t. I. p. 31. ed. noviss. Paris, 1901.

[2] Cf. Tertull. *de oratione* c. XIX P. L. t. I, 1286; *de corona*, c. III, ibid. t. II, 99: « Similiter et stationum diebus non putant plerique sacrificiorum orationibus interveniendum, quod statio solvenda sit, ACCEPTO CORPORE DOMINI ».

[3] Cf. S. Cypr. *de lapsis* c. 26, P. L., t. 4, 501; Tertull. l. II *ad uxorem* c. 5, l. c. 1408: « Non sciet maritus (ethnicus) quid secreto ante omnem cibum gustes? Et si sciverit panem non illum esse qui dicitur » coll. *de oratione* l. c. c. 19. — Duchesne, *Origines du culte chrétien*, 3. ed. 1903, p. 249, not. 3: « La communion à domicile, très fréquente aux temps des persécutions, fut maintenue, après la paix de l'Eglise, pour les solitaires, les monastères dépourvus de prêtres, et

tamen dicitur quod Eucharistia sic asservata quotidie sumeretur; supponitur sane; sed nec probatum est hanc consuetudinem universalem fuisse; quin imo, plures autumant illam ad tempus persecutionum fuisse restrictam, ac postea exstitisse potissimum in gratiam absentium [1]

§ 2. — Documenta a saeculo tertio ad quintum.

14. Porro, exeunte saeculo 2°, paulatim invaluisse in diversis regionibus usum quotidie sacram recipiendi communionem iam manifestum est. Inter auctores enim qui hac de re scripserunt, citandus est S. Hippolytus, de quo sic testatur S. Hieronymus: « ... et de Eucharistia, an accipienda quotidie, quod Romana Ecclesia et Hispaniae observare perhibentur, scripsit quidem et Hippolytus, vir doctissimus » [2]. Haec autem Hippolyti scripta ad nos usque non pervenerunt.

15. In Africa, teste S. Cypriano, nisi quis graviter oneratam haberet conscientiam, christiani quotidie ad sacram mensam accedebant: « .... Hunc autem panem dari nobis quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus et *Eucharistiam quotidie ad cibus salutis accepimus*, intercedente aliquo graviore delicto, dum abstenti et non communicantes a coelesti pane prohibemur, a Christi corpore separemur... » [3]. Nil sane mirum. Acerbissima saeviente persecutione, nullam S. Episcopus existimavit aptiorem praeparationem ad sustinendum fidei certamen quam ca-

en général, pour les personnes qui se trouvaient trop éloignées de l'église ». S. Basil. P. G. t. 32, 486; Kirchenlexicon l. c. sub. III.

[1] Cf. *Collationes brugenses* l. c.

[2] Ep. 72 n. 6 P. L. t. 22, 672.

[3] *De orat. domin.* c. 18. P. L. t. 4, 531, coll. 549.

licem Domini accipere : « Idcirco, ait, *se quotidie sanguinem Christi bibere*, ut possint et ipsi propter Christum sanguinem fundere » [1].

16. Eamdem fuisse in Oriente disciplinam scimus ex Clemente Alexandrino : « Ego nutritius tuus, qui meipsum panem praebeam, quem qui gustaverit, nemo adhuc mortis periculum faciet ; *qui fundam quotidie potum immortalitatis* » [2].

17. Fere eadem scripsit Origenes : « Dicite mihi vos qui tantummodo festis diebus ad ecclesiam convenitis, coeteri dies non sunt festi ? non sunt dies Domini ? Iudaeoum est dies certos et raros observare sollemnes Et ideo ad eos dicit Deus, quia neomenias vestras et sabbata et diem magnum non sustineo. leiunium et ferias et dies festos vestros odit anima mea. Odit ergo Deus eos qui unum diem putant festum diem esse Domini. *Christiani omni die carnes Agni comedunt, i. e. carnes Verbi Dei quotidie sumunt.* Pascha enim nostrum immolatus est Christus.... Et tu invitaris *quotidie* venire ad aquas Verbi Dei et assistere puteis eius, sicut faciebat Rebecca.... » [3].

18. Non constat tamen hanc praxim fuisse in Oriente universalem. Etenim S. Basilius scribit fideles quater dumtaxat singulis hebdomadibus communicasse : « Dominica die, quarta die, in parasceve et sabbato, et aliis diebus, si sancti alicuius memoria recolatur » [4]. Ipse tamen Sanctus Doctor quotidianam enixe commendat communionem : « Singulis etiam diebus communicare ac participem esse sancti Corporis et Sanguinis Christi bonum est et perutile ; cum ipse perspicue dicat : Qui comedit

[1] Ep. 56, ad Thibarit. ibid. 360.
[2] P. G. t. 9, 627 l. Quis dives, c. 23.
[3] Hom. X in Genes. n. 3 P. G. t. 12, 218.
[4] Ep. 93 ad Caesariam patric. P. G. t. 32, 484 seq,

meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam » Ioh. VII, 55 [1].

19. Pace autem Ecclesiae a Constantino Magno restituta, paulatim fidelium fervor decrevit, creverunt autem praesertim in Oriente, tepiditas et negligentia. Multi enim huic sacrae Mensae semel tantum in anno, alii vero vero bis, alii pluries participabant [2]. Ideo vehementer in tantam illorum vecordiam invehit S. Ioannes Chrysostomus eosque graviter reprehendit, qui intervallo temporis longiori constare meritum putabant, summamque arbitrabantur reverentiam esse non saepius coelestem illam adire mensam: « Nunc autem multi fidelium in tantam vecordiam tantumque venere contemptum, ut cum innumeris scateant malis, nullamque vitae suae curam habeant, in diebus festis negligenter ac temere ad mensam hanc accedant, haud intelligentes, quod communionis tempore non est festum neque celebritas, sed conscientia pura, vitaque a peccatis repurgata. Sicut enim qui sibi nullius mali conscius est, hunc oportet singulis diebus accedere... » [3]. Et: « Et quomodo, inquies, cum in anno semel accedamus? Hoc enim grave est, quod non munditia animae, sed intervallo temporis dignitatem accessus metiare, et hoc pie-

[1] Ibid. 483.

[2] S. Ioh. Chrysost. hom. XVII in ep. ad Hebr. n. 4, P. G. t. 63, 131: « Sed quoniam memini huius sacrificii, volo postea vobis dicere, qui mysteriis estis initiati, quae mensura quidem sunt pauca, magnam autem habent vim et utilitatem: non enim sunt nostra, sed divini Spiritus quae dicuntur. Quid est ergo? Multi huius sacrificii semel toto anno sunt participes, alii autem bis, alii vero saepe. Ad omnes ergo habetur oratio, non solum ad eos qui hic sunt, sed ad eos etiam qui sedent in deserto: nam illi semel in anno sunt participes, saepe etiam post duos annos ».

[3] Hom. de beato Philogonio P. G. t. 48, 755 coll. hom. de incomprehensibili Dei natura n. 6. ibid. 725, ubi Antiochenos arguit quod post concionem a sacris mysteriis recederent.

tatem esse existimes, quod non saepius accedas....» [1]. Et tamen, fatente ipso Sancto Doctore, quotidie sacra mysteria celebrantur: « An non es ex his, sed ex iis qui possunt participare et nihil curas? rem nihil esse putas? Considera, quaeso. Adest mensa regia, adsunt angeli ministrantes, adest Rex ipse, et tu stas oscitans? vestes tibi sunt sordidae, et nulla a te huius habetur ratio? At sunt mundae? Accumbe ergo et participa. Venit *quotidie* ut videat accumbentes, omnes alloquitur » [2]

20. Vides ex sententia huius doctissimi Patris licere christiano quotidie ad Eucharistiam accedere, dummodo sit dispositus i. e. cum munda conscientia mundoque corde atque cum vita quae nulli sit affinis reprehensioni [3]. « Probet autem seipsum homo.... non sicut nos nunc facimus, tempore conditionis potius moti, quam studio animi. Non enim id curamus, ut parati, a malis purgati et compunctione pleni accedamus, sed ut diebus festis et cum omnes accedunt. Verum non ita iussit Paulus; sed unum novit accedendi et communicandi opportunum tempus, conscientiae nempe puritatem. Nam si hac sensili mensa nunquam fruimur febri laborantes aut humoribus pleni, ut ne pereamus; multo minus hanc tangere nobis licet cum pravis concupiscentiis, quae febri sunt graviores. Cum autem pravas dico concupiscentias, et corporum dico cupiditates et pecuniarum et irae et iniuriarum recordationis, et omnes, ut uno verbo dicam, quae pravae absurdaeque sunt. Oportet autem accedentem, his omnibus exhaustis ac depositis, purum illud attingere sacrificium; neque segniter et misere affectum propter festum cogi ad

[1] Hom. VI in ep. I ad Timoth. c. II n. 3. P. G. t. 62, 529.

[2] Hom. III. in ep. ad Ephes. c. I. n. 5. P. G. t. 62, 29 sq.

[3] In ep. ad Hebr. l. c. coll. hom. I de prodit. Iud. n. 6 P. G. t. 49, 481, coll. 380.

accedendum; neque rursus compunctum et paratum prohiberi, eo quod non sit dies festus. Dies enim festus est bonorum operum exhibita copia, animi pietas, accuratum vitae institutum: si haec habeas, perpetuo festum agere poteris et semper accedere » [1]. Et: « Multos video qui Christi corporis sunt participes inconsiderate et temere et magis ex consuetudine et ex praescripto, quam ex cognitione et consideratione. Si advenerit, inquit, tempus sanctae Quadragesimae, qualiscumque fuerit quispiam, fit particeps sacramentorum, si advenerit dies Epiphaniorum. Atqui illud tempus accedendi non est: non Epiphania, neque Quadragesima facit dignos qui accedant, sed animae sinceritas et puritas. Cum ea semper accede, absque ipsa nunquam » [2]. Ideo ipse sanctus Doctor vult ut, qui ad hoc sacratissimum Corpus accedit, sit sublimis et cum terra nihil habeat commune [3].

21. Verumtamen usus quotidianae communionis non omnino ignorabatur in Oriente, praesertim apud monachos, qui tanta auctoritate in populo valebant; ipsi ad receptionem quotidianam SS. Eucharistiae hortabantur [4].

[1] In ep. I. ad Corinth. hom. XXVIII, n. 1, P. G. t. 61, 233.

[2] In ep. ad Ephes. l. c. n. 4. coll. hom. cit. de beato Philog., n. 3; hom. cit. in ep. ad Hebr.; hom. 82 in Matth. n. 5, P. G. t. 58, 743.

[3] Hom. 24 in ep. I ad Corinth. l. c. 204. Notandum est munditiem animae, quam exigit S. Ioh. Chrysostomus, nihil aliud esse, prout ex contextu patet, quam immunitatem a peccato mortali; cfr. etiam S. Athanas. Apologia II, c. 11, P. G. t. 25 267. Saeculo XI, eadem fere habet Theophylactus in illud Pauli I ad Corinth. c. 11 v. 28: « Neminem tibi iudicem proposuerim praeter teipsum. Tu itaque conscientia examinata discussaque, adito ea mysteria, non festis, non profestisque diebus, sed quovis tempore, cum purum te dignum compereris ». P. G. t. 124, 707. Plures tamen illud opus S. Athanasio tribuunt.

[4] Cfr. Rufin. hist. monach. c. 7. P. 4. t. 21, 418; Palladius, *historia lausiaca*, P. Gr. t. 34, 1047, vel ed. Buttler t. II. p., 46, Cambridge, 1898; Besse, *les moines d'Orient*, p. 352, Paris, 1901.

Aliter vero res se habebant in monasteriis Aegypti: ibi enim monachi sabbato et dominico die solebant solemniter convenire in ecclesiam ad divina mysteria celebranda et percipienda [1]; imo in nonnullis monasteriis dumtaxat dominico die vel etiam, propter nimis exaggeratam erga SS. Sacramentum reverentiam semel tantum in anno [2].

22. Iam ad Patres Ecclesiae Occidentalis veniamus. Dum Ecclesia africana suam, cuius testimonium reddiderat S. Cyprianus, servabat disciplinam antiquam, alia aliaque fuit coeterarum Ecclesiarum pro regionibus praxis. In Gallia, ubi usus quotidianae communionis universalis non erat, S. Hilarius eam valde suadebat: « Panem nostrum quotidianum da nobis hodie (Luc. XI, 3). Quid enim tam vult Deus quam ut quotidie Christus habitet in nobis, qui est panis vitae, et panis e coelo: et quia quotidiana oratio est, quotidie quoque ut detur, oratur » [3].

[1] Cassianus, *de coenobiorum instit.* l. III, c. 2. P. L. t. 49, 115; Collat. XVIII, c. 15, ibid. 117.

[2] Collat. XXIII, c. 21, l. c. 1278 sq. ubi citantur verba abbatis Theonae: « Nec tamen ex eo debemus nos a Dominica communione suspendere, quia nos agnoscimus peccatores; sed ad eam magis ac magis est, et propter animae medicinam et purificationem spiritus, avide festinandum: verumtamen ea humilitate mentis ac fide, ut indignos nos perceptione tantae gratiae iudicantes, remedia potius nostris vulneribus expetamus. Alioquin nec anniversaria quidem digne praesumenda est communio, ut quidam faciunt qui in monasteriis consistentes, ita sacramentorum coelestium dignitatem et sanctificationem ac meritum metiuntur, ut aestiment ea nonnisi sanctos atque immaculatos debere praesumere, et non potius ut sanctos mundosque nos sua participatione perficiant. Qui profecto maiorem arrogantiae praesumptionem, quam declinare sibi videntur, incurrunt; quia vel tunc cum ea percipiunt, dignos se huius perceptione diiudicant ». Exaggerationes illas, quas heic redarguit abbas Theonas, saec. XVII suas fecit Arnaldus, Iansenistarum coryphaeus.

[3] Fragm. VII P. L. t. 10, 725.

23. S. Ambrosius ad fovendum primum gregis sui fervorem plura scripsit de quotidiana communione: « Unde et Ecclesia videns tantam gratiam, hortatur filios suos, hortatur proximos, ut ad sacramenta concurrant, dicens: Edite, proximi mei, et bibite, et inebriamini fratres mei (Cant. x, 1). Quid edamus, quid bibamus, alibi tibi per Prophetam Spiritus Sanctus expressit dicens: Gustate et videte quoniam suavis est Dominus: beatus vir qui sperat in eo (Psal. 33,9). In illo sacramento Christus est: quia corpus est Christi: non ergo corporalis esca, sed spiritalis est. Unde et Apostolus de typo eius ait: quia patres nostri escam spiritalem manducaverunt, et potum spiritalem biberunt (I Corinth. x, 3, 4): corpus enim Dei corpus est spiritale: corpus Christi est divini Spiritus; quia Spiritus Christus, ut legimus: Spiritus ante faciem nostram Christus Dominus (Thren. IV, 20). Et in Petri epistola habemus: Christus pro nobis mortuus est (I Petr. II, 21.). Denique cor nostrum esca ista confirmat, et potus iste laetificat cor hominis, ut Propheta memoravit (Psalm. 105, 15) » [1]. Alio loco perpulchre S. Doctor abundantiam illius corlestis panis, qui datur omnibus, illustrat: « Iam mensae coelestis honore suscipior: epulis meis non pluvia undatur, non terrae partus laborat, non arborum fructus. Potui meo non flumina quaerenda, non fontes: Christus mihi cibus, Christus mihi potus: caro Dei cibus mihi, et Dei sanguis potus est mihi. Non iam ad satietatem mei annuos exspecto proventus, Christus mihi quotidie ministratur. Non verebor, ne qua mihi eum coeli intemperies, aut sterilitas ruris imminuat, si pii cultus diligentia perseverat. Non iam coturnicum pluvias mihi opto descendere, quas ante mirabar: non manna quod ante cibis omnibus

[1] Lib. de mysteriis, c. IX, n. 58, P. L. t. 16, 426.

praeferebam; quia qui manna manducaverunt patres esurierunt. Meus cibus est, quem si quis manducaverit, non esuriet. Meus cibus est, qui non corpus impinguat, sed confirmat cor hominis. Fuerat mihi ante mirandus panis de coelo; scriptum est enim: Panem de coelo dedit eis manducare (Exod. XVI, 14; Ioh. VI, 31); sed non erat verus ille panis, sed futuri umbra. Panem de coelo illum verum mihi servavit Pater. Mihi ille panis Dei descendit de coelo, qui vitam dat huic mundo. Non Iudaeis descendit, non Synagogae descendit: sed Ecclesiae descendit; sed populo Dei iuniori descendit. Nam quando Iudaeis descendit panis qui vitam dedit; cum omnes qui illum panem manducaverunt, hoc est manna, quem putaverunt Iudaei verum panem, in deserto mortui sunt? Quomodo Synagogae descendit, cum Synagoga omnis interierit, et aeterno ieiunio fidei macerata defecerit? Denique si accepissent panem verum, non dixissent: Domine, da nobis semper panem hunc (Ioh. VI, 34). Quid petis, Iudaee: ut tribuat tibi panem, quem dat omnibus, dat quotidie, dat semper? In te ipso est, ut accipias hunc panem: accede ad hunc panem et accipies eum. De hoc pane dictum est: Omnes qui elongant se abs te, peribunt (Psal. 72, 27). Si te elongaveris ab eo, peribis: si appropinquaveris ad eum, vives. Hic est panis vitae: qui ergo vitam manducat, mori non potest » [1]. Ex his, quae ex S. Ambrosio retulimus, sat clare apparet

[1] Exposit. in psalm. 118, serm. 18, n. 26, 27, 28, P. L. t. 15, 1537 sq. Ea quae leguntur in sermone XXV (de sancta Quadragesima IX) P. L. t. 17, 678 n. 6, nimirum nullum posse matrimonio uti ante octavam Paschae, et fideles, exceptis illis quibus sacerdos consilium dederit non communicandi, omni die vel saltem die Dominica communicare debere, referre omisimus, ea videlicet ratione quod ille sermo non videatur esse S. Doctoris, sed potius cuiusdam scriptoris posterioris aetatis.

ipsum fideles ad quotidianam SS. Eucharistiae receptionem hortatum fuisse; utrum autem Ecclesia Mediolanensis illo saeculo pristinum quotidianae communionis usum servaverit, minime constat [1].

24. Ex operibus S. Hieronymi constat frequentis et quotidianae communionis usum non solum Romae, sed et in Hispania quoque servatum fuisse: « Scio Romae hanc esse consuetudinem, ut fideles semper Christi corpus accipiant, *quod nec reprehendo, nec probo:* Unusquisque enim in suo sensu abundat (Rom. XIV, 5) » [2]. Et: « De sabbato quod quaeris, utrum ieiunandum sit, et de Eucharistia, an accipienda quotidie, quod Romana Ecclesia et Hispaniae observare perhibentur.... » [3].

25. Quod attinet autem coniugatos, S. Doctor contra Iovinianum, qui virginitatem et statum coniugalem eiusdem esse meriti asserebat, scribens, usum matrimonii ante

[1] In lib. IV. de Sacramentis, c. VI, n. 58, P. L. t. 16, 464 legitur: « Si quotiescumque effunditur sanguis (scilicet Christi), in remissionem peccatorum funditur; debeo illum semper accipere, ut semper mihi peccata dimittantur. Qui semper pecco, semper debeo habere medicinam ». Et l. V. c. VI, n. 25, ibid. 471: « Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis, quemadmodum Graeci facere consueverunt. Accipe quotidie, quod quotidie tibi prosit. Sic vive, ut quotidie merearis accipere. Qui non meretur quotidie accipere, non meretur post annum accipere ». In his aliisve locis videtur S. Ambrosium querelam de suorum in accipiendo Christi corpore negligentia instituisse. At haud constat *librum de Sacramentis* ab ipso fuisse conscriptum: alii enim cuidam S. Ambrosii discipulo, qui verba S. Doctoris concionantis transcripserit — cf. Bardenhewer, *Patrologie* 2. ed. p. 384 sq. Friburgi, 1901 — alii vero S. Maximino Taurinensi † 465; alii denique anonymo Ravennatensi saec. V vel etiam VI, tribuunt. Quidquid porro de auctore huius libri sit, nullum est dubium illum originem ambrosianam redolere, quod patet tum ex similitudine argumenti cum libro *de Mysteriis*, tum ex affinitate cum Mediolanensis Ecclesiae ritibus. Sed de his satis.

[2] Ep. 48 (al. 50) ad Pammachium n. 15, P. L. t. 22, 506.

[3] Ep. 71 (al. 28) ad Licinium, n. 6 ibid. 672.

communionem prohibebat: « Sed quia qui semel duxit uxorem, nisi ex consensu, se non valet abstinere, nec dare repudium non peccanti, reddat coniugi debitum: sponte quippe se alligavit ut reddere cogeretur. Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi. Oro te, quale illud bonum est, quod orare prohibet? quod corpus Christi accipere non permittit? Quamdiu impleo mariti officium, non impleo continentis » [1]. Cum autem cognovisset se propterea accusari quod nimius videretur in laude virginum atque e contra in suggillatione nuptarum iniquior, suam doctrinam adversus Iovinianum defendit: « Paulus Apostolus dicit, quando coimus cum uxoribus, nos orare non posse. Si per coitum quod minus est impeditur, id est, orare: quanto plus quod maius est, id est, Corpus Christi prohibetur accipere? Petrus ad continentiam hortatur: Ne impediantur orationes (I Petr. III, 7) nostrae. Quod hic, quaeso, peccatum meum est? quid commerui? quid deliqui? Si turbidae et nebulosae aquae fluunt, non est alvei culpa, sed fontis. An idcirco arguor, quod de meo ausus sum adiicere: " Quale illud bonum est, quod Corpus Christi accipere non permittit? Ad hoc breviter respondebo. Quid est maius orare, an Corpus Christi accipere? „ Utique accipere Corpus Christi. Si per coitum quod minus est impeditur, multo magis quod maius est. Diximus in eodem volumine, Panes propositionis ex Lege non potuisse comedere David et socios eius, nisi se triduo mundos a mulieribus respondissent (I Reg. 21), non utique a meretricibus, quod damnabatur a Lege: sed ab uxoribus, quibus licite iungebatur. Populum quoque quando accepturus erat Legem in monte Sina, tribus diebus iussum est ab uxoribus abstinere (Exod. XIX). Scio

[1] L. I adv. Iovinianum n. 7. P. L. t. 23, 230.

Romae hanc esse consuetudinem, ut fideles semper Christi corpus accipiant, quod nec reprehendo nec probo : Unusquisque enim in suo sensu abundat. Sed ipsorum conscientiam convenio, qui eodem die post coitum communicant, et iuxta Persium, noctem flumine purgant (Satyr. 2); quare ad Martyres ire non audent? quare non ingrediuntur Ecclesias? An alius in publico, alius in domo Christus est? Quod in Ecclesia non licet, nec domi licet. Nihil Deo clausum est et tenebrae quoque lucent apud Deum. Probèt se unusquisque, et sic ad Corpus Christi accedat; non quod dilatae communionis unus dies, aut biduum sanctiorem efficiat christianum, ut quod hodie non merui, cras vel perendie merear; sed quod dum doleo me, non communicasse Corpori Christi, abstineam me paulisper ab uxoris amplexu: ut amori coniugis, amorem Christi praeferam. Durum est, et non ferendum est. Quis hoc saecularium sustinere potest! Qui potest sustinere, sustineat: qui non potest, ipse viderit. Nobis curae est, non quid unusquisque possit aut velit; sed quid Scripturae praecipiant, dicere » [1].

26. At ipse postea hac de re a Licinio interrogatus respondit: « Sed ego illud breviter te admonendum puto, traditiones ecclesiasticas (praesertim quae fidei non officiant) ita observandas ut a maioribus traditae sunt: nec aliorum consuetudinem aliorum contrario more subverti..... Eucharistiam quoque absque condemnatione nostri et pungente conscientia, semper accipere et Psalmistam audire dicentem: Gustate et videte quoniam sua-

[1] Ep. cit. ad Pammach. l. c. 505 sq. Posterius eamdem a coniugatis continentiam exegit cf. *Anecdota Maredsolana* in hom. de Exodo in vigilia Paschae, t. III, b, p. 409 sq.

vis est Dominus (Psal. 39, 9) et cum eo canere: Eructavit cor meum verbum bonum (Ps. 44, 1) » [1].

27. Testimoniis igitur ita inter se collatis atque perpensis circumstantiis, in quibus S. Doctor scripserit, concludendum videtur scriptores tunc antiquiores tum recentiores quoque, qui de frequenti quotidianave communione egerunt, non satis forte considerasse illas circumstantias et nimis absolute pro sua sententia allegasse S. Hieronymum. Ipse siquidem nec reprehendit nec laudavit usum Ecclesiae Romanae et Hispaniarum sibi sane notissimum, imo nec iudicavit consuetudinem existentem aliorum more esse subvertendum. Quod denique attinet dispositiones ad sacram Communionem, ille nullam aliam praeter conscientiae puritatem exegit, id est absentiam peccati mortalis [2].

28. Confirmatur doctrina S. Hieronymi celeberrimo testimonio e vita S. Melaniae Iunioris desumpto: « Numquam haec (Melania) cibum corporalem accepit, nisi prius

[1] Ep. ad Licin. cit. l. c. 672. S. Chromatius ep. Aquileiensis, S. Hieronymi coaetaneus, haec scribit in c. VI Evang. S. Matthaei: « Hoc autem spiritaliter nobis praeceptum esse debemus advertere, ut panem quotidianum petamus: idest, panem illum coelestem et spiritalem, quem quotidie ad medelam animae et spem aeternae salutis accipimus, de quo ait Dominus in Evangelio: " Panis coelestis, caro mea est, quem ego dabo pro mundi huius vita „. (Ioh. VI, 52). Et hunc ergo panem quotidianum postulare iubemur: id est, ut, praestante Domini misericordia, quotidie panem accipere corporis Domini mereamur. Ait enim sanctus Apostolus: " Probet autem seipsum homo, et sic de pane Domini manducet et de calice bibat „ (I Cor. XI, 28). Et iterum: " Qui manducat panem Domini indigne, et calicem bibit, reus erit corporis et sanguinis Domini „ (ibid., 29). Unde non immerito semper orare debemus, ut hunc panem coelestem quotidie mereamur accipere: ne, aliquo interveniente peccato, a corpore Domini separemur ». Tract. XIV in evang. S. Matth. n. 5 P. L. t. 20, 361.

[2] Cf. Em. Card. Rampolla, *Santa Melania Giuniore, senatrice romana*, p. 252. Romae, 1905.

corpus Domini communicasset, quod maxime propter tutelam animae percipiebat, quamquam et consuetudo Romanis sit *per singulos dies communicare*. Primitus enim Apostolorum beatissimus Petrus episcopatum gerens, deinde beatus Paulus ibidem consummatus hanc traditionem fecerunt » [1].

29. Inter Patres huius aetatis qui de frequenti quotidianave scripsere communione, primum forsitan locum tenet S. Augustinus. Et quidem ipse, licet praxim Ecclesiae Occidentalis non ubique eamdem esse sciret [2], ad quotidianam SS. Eucharistiae receptionem fideles hortatus est: « Memor sum promissionis meae. Promiseram enim vobis, qui baptizati estis, sermonem quo exponerem mensae Dominicae sacramentum, quod modo etiam videtis, et cuius nocte praeterita participes facti estis. Debetis scire quid accepistis, quid accepturi estis, quod quotidie accipere debeatis » [3]. Et « Ut pulchra permaneas, carnem eius (Christi) quotidie manducabis; ut vitam aeternam

[1] Card. Rampolla op. cit. p. 251 qui animadvertit: « A questo proposito il testo latino della biografia di Melania ci ha conservata una testimonianza preziosissima, sia perchè ci conferma e meglio ci fa comprendere come Roma sia stata il centro della pratica della comunione quotidiana; sia molto più perchè ci fa conoscere che ai Romani siffatta pratica direttamente derivava della istruzione ricevuta da ambedue i Principi degli Apostoli Pietro e Paolo ».

[2] « Huius rei Sacramentum, id est, unitatis Corporis et Sanguinis Christi alicubi quotidie, alicubi certis intervallis dierum in dominica mensa praeparatur, et de mensa dominica sumitur » tract. in Ioh. XXVI, c. 6 n. 15 P. L. t. 35, 1614. Et, « Alia vero quae per loca terrarum regionesque variantur, sicuti est qui ieiunant sabbato, alii non; alii quotidie communicant corpori et sanguini Domini, alii certis diebus accipiunt; alibi nullus dies praetermittitur, quo non offeratur, alibi sabbato tantum et dominico, alibi tantum dominico » ep. 54 ad Ianuar. c. 2, n. 2 P. L. t. 33, 200.

[3] Serm. 227 *ad infantes, de Sacramentis*. P. L. t. 38, 1099.

habeas, sanguinem eius potabis: vide ne deseras hanc mensam.... » [1].

30. Equidem S. Augustinus prius cum aliqua difficultate quartam orationis Dominicae petitionem de pane eucharistico intellexit, eam potius exponens de praeceptis divinis, quae quotidie oportet meditari et operari, et post eruditam expositionem concludit: « Si quis autem etiam de victu corporis necessario vel de Sacramento Dominici corporis istam sententiam vult accipere, oportet ut coniuncte accipiantur omnia tria: ut scilicet quotidianum panem simul petamus, et necessarium corpori et sacratum visibilem et invisibilem verbi Dei » [2]. At postea hanc interpretationem plene admisit: « Norunt etiam spiritualem alimoniam fideles, quam et vos scituri estis, accepturi de altare Dei. Panis erit et ipse quotidianus, huic vitae necessarius. Numquid enim Eucharistiam accepturi sumus, cum ad ipsum Christum venerimus, et cum illo in aeternum regnare coeperimus? Ergo Eucharistia panis noster quotidianus est: sed sic accipiamus illum, ut non solum ventre, sed et mente reficiamur » [3]. Et: « Intelligitur etiam hoc valde bene: " *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie* „, Eucharistiam tuam, quotidianum cibum. Norunt enim fideles quid accipiant, et bonum est eis accipere panem quotidianum huic tempori necessarium. Pro se rogant, ut boni fiant, ut in bonitate et fide et vita bona perseverent. Hoc optant, hoc orant: quia si non perseveraverint in vita bona, separabuntur ab illo pane. Ergo,

[1] Serm. de quarta feria P. L. t. 40, 691, inter opuscula dubia S. Augustini.

[2] *De sermone Domini in monte* l. II. c. VII, n. 25-28, P. L. 34, 1279 sqq.

[3] Serm. 57, c. 7 P. L. t. 38, 389.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, quid est? sic vivamus, ut ab altari tuo non separemur » [1].

31. Alio loco, respondens Ianuario docet ipse S. Doctor quid sit agendum in iis in quibus regionum vel Ecclesiarum consuetudines variant: « Dixerit aliquis non quotidie accipiendam Eucharistiam: quaesieris quare. Quoniam, inquit, eligendi sunt dies quibus purius homo continentiusque vivit, quo ad tantum Sacramentum dignus accedat: Qui enim manducaverit indigne, iudicium sibi manducat et bibit (I Cor. XI, 29). Alius contra: Imo, inquit, si tanta est plaga peccati atque impetus morbi, ut medicamenta talia differenda sint, auctoritate antistitis debet quisque ab altari removeri ad agendam poenitentiam, et eadem auctoritate reconciliari. Hoc est enim indigne accipere, si eo tempore accipiat quo debet agere poenitentiam; sed non ut arbitrio suo, cum libet, vel auferat se communioni vel reddat. Coeterum peccata si tanta non sunt, ut ea communicandus quisque iudicetur, non se debet a quotidiana medicina Dominici corporis separare. Rectius inter eos fortasse quispiam dirimit litem, qui monet ut praecipue in Christi pace permaneant: faciat autem unusquisque quod secundum fidem suam pie credit esse faciendum. Neuter enim eorum exhonorat corpus et sanguinem Domini, sed saluberrimum Sacramentum certatim honorare contendunt..... Contemp-

[1] Serm. 58, c. 4 ibid. 395, coll. serm. 56, c. 6 n. 10, ibid. 381; serm. 59, c. 3 ibid. 401. Quoad textum frequenter citatum, nimirum: « Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis, quemadmodum Graeci in Oriente facere consueverunt? Accipe quotidie, quod tibi prosit: sic vive, ut quotidie merearis accipere ». Serm. 84 in append. t. 39, 1908 sq., animadvertendum est illum sermonem exscriptum videri ex Ambrosii l. V de sacramentis et inter Augustini sermones suppositicios reponi.

tum solum non vult cibus iste, sicut nec manna fastidium » [1].

32. Praeter statum gratiae, nullam animae dispositionem S. Augustinus postulat aliam: « Nam et nos hodie accipimus visibilem cibum; sed aliud est Sacramentum, aliud virtus Sacramenti. Quam multi de altari accipiunt et moriuntur et accipiendo moriuntur? Unde dicit Apostolus: *Iudicium sibi manducat et bibit* (I Cor. XI, 29). Non enim buccella Dominica venenum fuit Iudae; et tamen accepit, et cum accepit, in eum inimicus intravit: non quia malum accepit, sed quia bonum male malus accepit. Videte ergo, fratres, panem coelestem *spiritualiter* manducate, innocentiam ad altare apportate. Peccata, etsi sunt quotidiana, vel non sint mortifera; antequam ad altare accedatis, attendite quid dicatis: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (Matth. VI, 12) Dimittis, dimittitur tibi, securus accede, panis est, non venenum » [2]. Ex his liquet S. Doctorem, praeter peccatum mortale, nullum aliud obstaculum, ne quidem peccatum veniale, sanctae communioni iudicasse. Quod vero attinet verba « *panem coelestem spiritualiter manducate* », de quorum sensu quis dubitare forsitan posset, advertendum est, prout ex toto contextu constat, illa referri ad praecedentia, nimirum: « aliud est Sacramentum, aliud virtus Sacramenti » quibus innuitur homines alios recipere

[1] Ep. cit. ad Ianuar. c. 3 l. c. 201 sq. Diu auctores alium textum qui revera Gennadii Massiliensis est, S. Augustino adscripserunt: « Quotidie communionem percipere nec laudo nec vitupero. Omnibus tamen dominicis diebus communicandum suadeo et hortor, si tamen mens in affectu peccati non sit » *de ecclesiasticis dogmatibus* c. 23 P. L. t. 42, 1217. Notandum est Gennadium fuisse de factione Gallorum, contra quam congregatum fuit concilium Arausicanum secundum.

[2] Tract. 26 in Ioh. n. 11 P. L. t. 35, 1611.

sacramentum, alios vero rem et sacramentum; aliis verbis, qui in statu peccati mortalis ad sacram alimoniam accedunt, Eucharistiam quidem accipiunt, minime vero virtutem seu gratiam; qui e contra in statu gratiae sunt constituti, non modo sacramentum, verum et rem atque virtutem sacramenti. Non igitur in textu Augustini sermo est de communione spirituali [1].

33. Alio loco ex S. Doctore accipimus Eucharistiam nonnisi a ieiunis suscipiendam esse: « Numquid tamen propterea calumniandum est universae Ecclesiae quod a ieiunis accipitur? Ex hoc enim placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti sacramenti in os christiani prius dominicum corpus intraret, quam ceteri cibi: nam ideo per universum orbem mos iste servatur » [2]. Hanc disciplinam fuisse antiquissimam comperimus ex canone 205 Hippolyti [3]; aliquam tamen exceptionem admisit africana Ecclesia in die Coenae Domini, ut sic melius Evangelio obsequeretur, in quo dicitur Apostolos post manducationem agni communicasse [4]. Cum autem exinde plures ad impugnandam universalem Ecclesiae praxim argumentum deducerent, S. Augustinus ea quae supra retulimus, scripsit [5].

34. Doctrina Patrum ex allatis hucusque testimoniis satis superque demonstrat Ecclesiae, iam prioribus sae-

[1] Perpulchre hac de re S. Thomas in oratione ante missam: « Da mihi, quaeso, Dominici Corporis et Sanguinis non solum suscipere sacramentum, sed etiam rem et virtutem sacramenti ».

[2] Ep. 54 ad Ianuar. cit. n. 8 P. L. t. 33, 203.

[3] « Ne gustet aliquis fidelium quidquam nisi antea de mysteriis sumpserit, praesertim diebus ieiunii sacri ». Cfr. Canones Hippolyti ed. Achelis p. 119, Leipzig 1891, coll. Tertull. *de oratione* c. 19 cit.

[4] « Ut sacramenta altaris nonnisi a ieiunis hominibus celebrentur, excepto uno die anniversario, quo coena Domini celebratur ». Conc. Carthag. III, an. 397, can. 29, Mansi Conc. Coll. t. III, 885, cui interfuit S. Augustinus.

[5] Cf. Card. Rampolla, op. cit. p. 252.

culis, fuisse sensum ac desiderium quod fideles quam frequenter, imo, si fieri possit, quotidie, ad S. Synaxim accederent testaturque hanc multis in locis viguisse frequentiam. Quae revera testimonia, attenta illorum Patrum qua valebant valentque auctoritate, haudquaquam despicienda, imo vero plurimi sunt aestimanda, cum subsequentium temporum ad illorum sententiam Scriptores ecclesiastici atque Doctores saepe provocaverint.

§ 3. — Documenta a saeculo quinto ad saeculum decimum tertium.

35. Non una eademque fuit hac aetate Patrum doctrina fideliumque praxis: hi enim minus frequenter communicabant; ex illis autem plures statuerunt normas severiores in permittendo ad SS. Eucharistiam accessu.

S. Gregorius Magnus, etsi de quotidiana communione directe et expresse non loquatur, eam tamen indirecte fidelibus commendat, dum suadet quotidianam SS. Sacrificii celebrationem, in qua Corpus et Sanguis Domini fidelibus praebentur [1]; imo Eucharistiam habet ut habituale animae alimentum [2].

[1] « Debemus itaque praesens saeculum vel quia iam conspicimus defluxisse, tota mente contemnere, quotidiana Deo lacrymarum sacrificia, quotidianas carnis eius et sanguinis hostias immolare. Haec namque singulariter victima ab aeterno interitu animam salvat, quae illam nobis mortem Unigeniti per mysterium reparat, qui licet resurgens a mortuis iam non moritur, et mors ei ultra non dominabitur, tamen in semetipso immortaliter atque incorruptibiliter vivens, pro nobis iterum in hoc mysterio sacrae oblationis immolatur. Eius quippe ibi corpus sumitur, eius caro in populi salutem partitur, eius sanguis non iam in manus infidelium, sed in ora fidelium funditur » lib. IV dialog. c. 58 P. L. t. 77, 425.

[2] « Quis exponere queat, quantae fuerit miserationis, sacratissima pretiosi sanguinis effusione genus humanum redimere, et sacrosanctum

36. S. Isidorus Hispalensis, doctrinae S. Augustini inhaerens, quotidianam communionem commendat, nisi aliquod intercedat peccatum, quo aliquis a sacra mensa removeatur aut excommunicandus iudicetur; in hac porro hypothesi, ne accedat priusquam egerit poenitentiam. « Dicunt aliqui, nisi aliquo intercedente peccato, Eucharistiam quotidie accipiendam; hunc enim panem dari quotidie nobis, iubente Domino, postulemus, dicentes: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Quod quidem bene dicunt, si hoc cum religione et devotione et humilitate suscipiunt, nec, confidendo de iustitia, superbiae praesumptione id faciant. Ceterum si talia sunt peccata, quae quasi mortuum ab altari removeant, prius agenda poenitentia est, ac sic deinde hoc salutiferum medicamentum tunc suscipiendum. Qui enim manducaverit indigne, iudicium sibi manducat et bibit. Hoc est enim indigne accipere, si eo tempore quis accipiat, quo debet agere poenitentiam. Ceterum si non sunt tanta peccata, ut excommunicandus quisque iudicetur, non se debet a medicina Dominici corporis separare, ne, dum forte diu abstinendus prohibetur, a Christi corpore separetur..... Qui enim iam peccare quievit, communicare non desinat » [1]. Magni momenti nobis videtur illud S. Isidori de dispositionibus ad communionem requisitis testimonium, quo confirmantur illa quae de S. Augustini doctrina fuerunt dicta, scilicet peccatum mortale dumtaxat a sacra dape arcere, quod

vivifici corporis et sanguinis sui mysterium membris suis tribuere? cuius perceptione corpus suum, quod est Ecclesia, pascitur et potatur, abluitur et sanctificatur? » exposit. in ps. VI poenit. n. 11 P. L. t. 79, 640, coll. hom. XXII in Evang. n. 7 ibid. t. 76, 1178.

[1] De eccles. officiis l. I. c. 18, n. 7, 8, P. L. t. 83, 756.

revera significatur illis locutionibus : *talia*..... *tanta peccata* [1].

37. Coniugatis autem pluribus diebus continentiam imponit. « Coniugatis autem abstinendum est a coitu, plurimisque diebus orationi debent vacare, et sic deinde ad Christi corpus accedere », et, adducto Davidis exemplo, I Regum XXI, concludit : « Quapropter eligendi sunt aliquot dies, quibus prius homo continentius vivat, quo ad tantum sacramentum dignus accedere possit » [2].

38. S. Hildefonsus Toletanus quartam orationis dominicae petitionem de SS. Eucharistia, quam christiani panem dicit vere quotidianum, interpretatur : « Post regenerationem nativitatis spiritalis, post gratiam coelestis unctionis, post doctrinam dominicae orationis, post invocationem divinae Paternitatis, convenit iam pervenire ad participationem coelestis refectionis. Eorum enim est dicere : *Pater noster*, *qui es in coelis*, qui iam Patre tali regenerati sunt ex aqua et spiritu, ut confidenter petant dicentes : *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*. Hic ergo quia panis vivus Christus est, qui de coelo descendit, et vitam dat mundo (Ioh. VI, 51), bene in hac oratione Dominica panem nostrum hunc ipsum Christum dari nobis quotidie petimus, ut, qui in Christo manemus et vivimus, a sanctificatione et corpore eius non recedamus. Quid enim tam

[1] Cf. Petavius, *dissertationes eccles.* l. II c. III p. 185 in t. IV *de theol. dogmat.* Venetiis 1745.

[2] L. c. n. 9, 10 coll. Capitular. Ansegisi l. II n. 38. P. L. t. 97, 547, sq. Rudolf. episc. Bituricen. Capitular. n. 28 ibid. t. 119, 717; cf. quoque Poenitent. eccles. Hiberniae, Schmitz op. cit. t. I, 644; Poenit. Egberti Eboracens. ibid. t. I, 580; t. II, 529, 553.; Poenit. Cassinens. ibid. t. I, 431; Poenitent. Vallicellianum, ibid. p. 387; Laurentianum, t. I, 791; t. II, 344, 428, 575, 667.

vult Deus, quam ut quotidie Christus habitet in nobis, qui est panis vitae, et panis e coelo? » [1].

39. Venerabilis Beda conqueritur quod sua aetate per incuriam docentium, vel inter illos qui religiosiores videbantur, nullus nisi ad summum ter in anno divino illo pane se reficiat; de coniugatis autem nullam statuit normam specialem: « Quam salutaris sit omni christianorum generi quotidiana Dominici corporis et sanguinis perceptio, iuxta quod Ecclesiam Christi per Italiam, Galliam, Africam, Graeciam ac totum Orientem solerter agere nosti. Quod videlicet genus religionis, ac Deo devotae sanctificationis tam longe a cunctis pene nostrae provinciae laicis per incuriam docentium quasi prope peregrinum abest, ut hi, qui inter religiosiores esse videntur, nonnisi in Natali Domini et Epiphania et Pascha sacrosanctis mysteriis communicare praesumant, cum sint innumeri innocentes et castissimae conversationis pueri ac puellae, iuvenes et virgines, senes et anus, qui absque illo scrupulo controversiae, omni die Dominico, sive etiam in natalitiis sanctorum Apostolorum, sive Martyrum, quomodo ipsi in sancta Romana et Apostolica Ecclesia fieri vidisti, mysteriis coelestibus communicare valeant. Ipsi etiam coniugati, si quis sibi mensuram continentiae ostendat, et virtutem castitatis insinuet, idem et licenter possint, et libenter facere velint » [2].

40. Saeculo IX. Walfridus Strabo, monachus Fuldensis, expositis variis sententiis, tum laicos, tum maxime clericos ad quotidianam hortatur communionem, ab eisque

[1] Lib. *de cognitione baptismi* c. 136. P. L. t. 96, 168.

[2] Ep. II ad Egbertum antistitem P. L. t. 94, 655 sq. Qualis autem sit illa *continentiae mensura*, S. Beda non indicat; sed, ut videtur, benigniorem se praebet quam caeteri scriptores ecclesiastici ac praesertim libri poenitentiales huius aetatis et regionis.

nullam aliam dispositionem requirit, nisi immunitatem a gravi culpa atque fervens humileque Corpus Domini recipiendi desiderium: « Quia vero venerabilis papa Silvester, tricesimus quartus a beato Petro, ferias clerum habere docuit, ut, sicut apud paganos feriae tantum dies aliquibus festis insigniti dicebantur (sic enim per Moysen dicitur: *Hae sunt feriae Domini* — Levit. XXIII, 4 —), ita Christianis et maxime clericis, omnes dies in ferias deputentur, videtur ratione plenissimum ut per singulos dies sacris occupemur officiis. Et quantum (quando) mentis et corporis graviores culpae non obsistunt, panem et sanguinem Dominicum, quibus sine vivere non possumus, iugiter ambiamus et desiderio illius tuitionis potius quam praesumptione nostrae puritatis, sumamus, imitantes primitivae Ecclesiae studium salutare, de quo in Actibus Apostolorum ita scriptum est (Act. II, 42, 46; V, 42) » [1].

41. Sequenti saeculo, S. Petrus Damianus, ad Damianum nepotem scribens de castitate et mediis eam tuendi, quotidianam SS. Eucharistiae susceptionem tanquam potentissimum huius virtutis praesidium instanter suadet: « Quamobrem pudeat, o fili, vitio libidinis enerviter, vel in cogitatione succumbere, de quo cernis infirmiorem et fragilem sexum cum tanta gloria triumphare: et, ut frementem bestiam valeas, ut ita loquar, ex agro tui iuris expellere, satage te, frater, iam quotidie Dominici corporis et sanguinis perceptione munire. Videat occultus hostis labia tua Christi rubore rubentia, quae territus perhorrescat, et mox in tenebrarum suarum latibula pavescendo diffugiat. Quod enim tu per visibilem panis ac vini speciem accipis, ille, velit, nolit, Dominici corporis ac sanguinis intelligit veritatem..... His itaque coelestibus

[1] *De rebus eccles.* c. 20. P. L. t. 94, 942.

sacramentis, fili carissime, te frequentius munire non differas, quibus videlicet diabolicae versutiae et subdolae machinationis argumenta repellas. Praecinctus erigere, constanter atque robustus sta semper in acie, nec ignores indeficientem adversarium contra te infatigabiliter dimicare » [1].

42. Eadem fere idem Sanctus scribit ad Blancam comitissam, quae, omnibus relictis, in monasterium Deo servitura secesserat: « Hunc Sponsum, venerabilis soror, verae caritatis ulnis amplectere, super hoc iugiter delectare, inquam, in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui. Huius Corpus et Sanguinem etiam ore carnis crebro suscipe, ut hanc eius vocem merito possis audire: " *Favus distillans labia tua, sponsa, mel et lac sub lingua tua* „ (Cant. IV, 11). Terretur enim adversarius, cum christiani labia Christi videt cruore rubentia. Agnoscit enim praesto perditionis indicium, et divinae victoriae, qua captivatus est et obrutus, non tolerat instrumentum » [2].

43. S. Gregorius VII pariter hortatur ad frequentem, seu potius, uti ex contextu constat, ad quotidianam communionem, atque, ad probandam suam sententiam, citat S. Ambrosium, S. Gregorium et S. Iohannem Chrysostomum: « Sed, quia inter coetera quae tibi contra principem mundi arma, Deo favente, contuli, quod potissimum est, ut corpus Dominicum frequenter acciperes, indicavi..... Haec ideo, carissima beati Petri filia, scribere procuravi, ut fides ac fiducia in accipiendo corpus Domini maior tibi accrescat » [3].

[1] Op. 47 *de castitate* c. 2 P. L. t. 145, 712 coll. Concil. Clovesshiae II, an. 747, can. 24, Mansi Conc. Coll. t. 12, 402.

[2] Op. 50 *Institutio monialis* c. 3 ibid. 735; opus valde commendandum monialibus earumque directoribus.

[3] Regist. l. I ep. 47 ad comitissam Mathildem P. L. t. 148, 327 sq.

44. Doctrinam autem suorum praedecessorum quasi compendiose tradit Durandus, abbas Troarnensis (in dioecesi Baiocensi), qui, allato textu S. Ambrosii in l. de Sacramentis, quem divo Augustino tribuit, laudat communionis quotidianae usum eosque redarguit qui « post novem annos semel communicant »; ab illa porro quotidiana susceptione excludit ipse quos capitalia premunt crimina, non adhibita poenitentia. De aliis autem requirit ut humiliter in Dei misericordia confidant et a minimis, opitulante Deo, peccatis abstinere festinent; addit tamen: « qui (Deus), ut quotidianis lapsibus nostris quotidianum procuraret remedium, coeleste hoc novumque non annuatim, sed diatim agendum, remotis veteribus, instituit sacrificium, quo crebrius parti ac subinde refecti innovemur » [1].

45. Saeculo XII, Otto Bambergensis commendat quidem frequentiam communionis; at, ratione habita neophytorum, qui in Pomerania numerosi aderant, vult ut saltem ter vel quatuor in anno ad sacram mensam accedant [2].

[1] L. *de corpore et sanguine Christi* p. V, c. 15 P. L. t. 149, 1398 sq. Peccata minima, de quibus in hoc loco sermo est, sunt peccata venialia, prout constat ex oppositione ad peccata capitalia. Si revera, ut videtur, ipse Durandus huiusmodi peccata tamquam obstaculum quotidianae communionis existimaverit, dicendum esset Durandum esse primum qui hanc posuisset conditionem, de qua postea controversiae exortae sunt.

[2] « Quartum sacramentum est corpus et sanguis Domini. Hoc sacramentum victuris et morituris est necessarium, sive vivimus sive morimur, hoc viatico semper est utendum. Est enim cibus verus, vitam in se habens aeternam. Unde frequenter missae celebrandae sunt, et vos ad easdem devote convenire debetis, ut saepius huic viatico communicetis . . . Oportet tamen et vos ipsos ter vel quater in anno, si amplius fieri non potest et confessionem facere, atque ipsi sacramento communicare » *sermo ad Pomeranos*, P. L. t. 173, 1358.

46. Dum porro scriptores, quos modo citavimus, generatim dumtaxat de dispositionibus locuti sunt, alii plures hac periodo rem specialiter tractarunt institeruntque, non modo in iis quae stricte requiruntur, verum etiam quae pro tanti Sacramenti reverentia et honore sunt exoptabilia; sicque severiores in permittenda sacra communione se praebebant, nec indifferenter omnes, etiam quorum conscientia a peccato mortali erat immunis, ad eam admittebant. Ita Anastasius Sinaita († 700) plura scripsit de necessitate purificandi animam deque peccatorum eluendis sordibus ante receptionem Corporis et Sanguinis Domini, et ad confirmandam suam sententiam varios tum S. Ioh. Chrysostomi, tum S. Basilii adduxit textus [1]. Theodorus Studita († 826) non unicuique commendat sacram communionem, sed ei tantum qui cordis puritatem, quantum homini possibile est, habet [2].

47. In Occidente, Theodulfus, Aurelianensis episcopus († 921), presbyteris suis tradidit normas quibus populus dirigi debeat, in frequentanda sacra mensa: admoneant scilicet presbyteri christianos fideles ut nequaquam indifferenter ad hoc sacrosanctum sacramentum accedant, neque ab hoc nimium abstineant; sed communicaturi eligere tempus debeant, quando aliquandiu ob opere coniugali abstineant, et vitiis se purgent, virtutibus exor-

[1] P. G. t. 89, 386 sqq. coll. 753, qu. 100; *oratio de synaxi* ibid. 830 sqq.

[2] « Cur tu, o veneranda, a me exigis ut de divina communione loquar, et cur tu iam a tot annis raro ea uteris: etenim hoc sine aliqua causa fieri non debet. Quippe neque raro neque quotidie, sed cum pura conscientia participandum est . . . Igitur si hac ratione, conscientiam tuam perscrutans, et reverenter te gerens, procrastinaris, bene est; sive id brevi sive longiore tempore fiat: nullusque alius huic rei terminus assignari potest, quam cum puro, quatenus homini possibile est, corde accessus ». ep. ined. 220, P. G. t. 99, 1667 sq.

nent, eleemosynis et orationibus insistant; religiosi vero sancte viventes omni die id faciant [1].

48. Radulphus Ardens e dioec. Pictaviensi (circa med. saec. XI) ulterius forsitan progrediendo, vult ut conscientia etiam venialibus mundetur: « Probet autem, idest, diiudicet, examinet, et emendet totam vitam suam, omnes cogitationes, omnia delicta et facta sua ad iudicium vocans, ut quod viderit in se vitiosum abiiciat. Quod viderit sibi deesse acquirat, quod incultum excolat, quod purum magis purificet. Non solum autem criminalia, sed etiam omnia venialia, pro posse, evitet..... Taliter autem purgatus et purificatus poterit ad sacramentum corporis et sanguinis Domini dignus accedere » [2].

49. Petrus Cellensis fere eadem habet: « Discerne itaque hunc panem angelicum, o homo, non tantum a cibis corporalibus, sed a cunctis creaturis, prae omnibus hunc honorando, colendo, etiam diligendo, etiam adorando, credendo, manducando. Hic modus manducandi, ut castus castum percipias, corpus Christi christianus, sanctum sanctus, pium bonus, iustum rectus, crucifixum devotus, coelestem terrenus » [3].

50. Haec porro SS. Doctorum necnon ecclesiasticorum Scriptorum perseverans communionis frequentis et quotidianae commendatio sat clare demonstrat huiusmodi praxim hac aetate multum decrevisse. Et revera in

[1] *Capitula*, capit. 44 P. L. t. 105, 305; Ionas Aurel. ep. *de institutione laicali*, c. 18, ibid. t. 106, 201 sqq.; Robertus Pulli l. VIII sententiar. c. 7, ibid. t. 186, 968 sq.; Burchard. Vormatiens. decretor. l. V c. 22, ibid. t. 140, 757.

[2] *Hom. in epist. et evang. dominic.* hom. 47, P. L. t. 155, 1837; cf. Brunon. Astens. exposit. in Levitic. c. 16 ibid. t. 164, 436, ubi requirit non modo fidem et poenitentiam, verum et omnimodam munditiam et castitatem exterioris interiorisque hominis.

[3] Serm. 39 *in coena Domini* ibid. t. 202, 763.

promptu sunt diversa documenta quibus haec confirmetur assertio. Iam vgr. saec. VI, ex concilio Agathensi, 506, comperimus in Gallia hac in re negligentes fuisse fideles [1]; saec. VIII, synodus Reispacensis, 799, conqueritur; « a multis solet fieri, ut aliquandiu spatium anni pertransit, quo non percepit suae sacramenta salutis, qui numquam unam septimanam progredi debuit » [2].

51. Sed in statuenda huius frequentationis norma, alia aliaque fuit disciplina: sic capitularia Aquisgranensia edicunt: « monendi sunt atque instruendi omnes fideles, ut mundati et purificati, et saepius communicent, et reverenter ad ipsam communionem accedant » [3]; concilium Aquisgranense II, 836, postulat ut restituatur praxis omni die dominica communicandi [4]; in libro legum ecclesiasticarum praecipitur, ut, exceptis excommunicatis, omnes quolibet die solis quadragesimae, « uti etiam die iovis ante Pascha et die veneris et vigilia Paschatis et omnibus diebus septimanae paschalis » sacram synaxim sumant, atque ad crebram corporis et sanguinis Domini susceptionem fideles invitentur [5]; concilium Turonense III, 813, monet ut, si non frequentius, vel ter laici in anno communicent [6]; Vulfradus, episc. Bituricensis, hortatur fideles ut, exceptis publicis poenitentibus, ter in anno, i. e. die Nativitatis, Paschatis et Pentecostes communionem suscipiant [7]; poenitentiale Mediolanense eosdem dies, addita Coena

[1] Can. 18, Mansi Concil. Collect. ed. noviss. t. 8, 327 coll. Atton. Vercell. *Capitularia* c. 73. P. L. t. 134, 42.

[2] Can. 6. Mansi ibid. t. 13, 1027.

[3] *Oratorum relatio ad imperatorem* n. 3, P. L. t. 97, 591.

[4] C. III, can. 22, Mansi t. 14, 694.

[5] *Lib. legum eccles.* n. 42, 44, Mansi t. 19, 192.

[6] Can. 50, Manzi t. 14, 91.

[7] Epist. pastoral. P. L. t. 121, 1140.

Domini, statuit [1]; poenitentiale Bigotianum I declarat excommunicatos, qui tribus dominicis non communicaverint [2]; e contra concilium Cabillonense II, 813, dumtaxat communionem in Coena Domini imponit [3].

52. Attamen apud monachos perseveravit antiquus usus quotidie communicandi, prout refertur in regula Auctoris incerti, ubi dicitur: « Quotidie cellerarius cum septimanariis coram abbate in oratorio cum congregatione communicet » [4].

53. Nonnulli vero huius Scriptores ad sententiam quam tribuunt S. Augustino provocant atque ideo docent eum, qui Eucharistiae communionem quotidie recipit, neque reprehendendum nec esse laudandum, simul tamen ipsi affirmant Eucharistiam institutam fuisse in augmentum virtutis, scilicet caritatis, et in medicinam quotidianae infirmitatis [5].

[1] Schmitz, *die Bussbucher und die Bussdisciplin der Kirche* t. I, 814, Mainz, 1883; t. II, 321, 360, 428, Dusseldorf, 1898 coll. Rater. Veronens. *synodica ad presbyteros* n. 10, P. L. t. 136. 562.; Revue bénédictine, 1905, t. XXII, p. 520.

[2] Wasserschleben, *die Bussordnungen der abendländischen Kirche* p. 448, Halle, 1851, coll. Poenitent. Theodori Cantuar. Schmitz t. I, 534.

[3] Can. 47 Mansi t. 14, 103.

[4] P. L. t. 88, 894 coll. *Concordia Regularum* c. XI, p. X, P. L. t. 103, 1050, et Walaf. Strab. supra cit.

[5] Amalarius, de eccles. offic. l. III, c. 34, P. L. t. 105, 1153 sq.; Petr. Lombard. l. IV sent. d. XII, n. 8 ibid. t. 192, 867; Gratian. decreti p. III d. II, c. XIII; Hugo a S. Victore, Quaest. in ep. S. Pauli, q. 101. P. L. t. 135, 532; Innocent. III, *de sacro altaris mysterio* l. IV, c. 42, ibid. t. 217, 883.

CAPUT III.

DOCTRINA SCHOLASTICORUM USQUE AD S. CONCILIUM TRIDENTINUM

54. Quam superiori periodo Doctores Scriptoresque ecclesiastici dolebant communionis frequentis minutionem, nonobstantibus gravioribus poenis in negligentes christianos statutis potius augebatur. Et sane civiles discordiae, bella, disciplinae tum in clero cum in ordinibus religiosis relaxatio haud parvi momenti fuerunt in hoc tepore fovendo [1]. Quapropter pia Mater Ecclesia, ne secundum illud S. Thomae « propter iniquitatis abundantiam, refrigescente multorum caritate », populus christianus prorsus ab illo gratiae fonte retraheretur, praescripsit ut « omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, semel saltem in anno confiteatur .... suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucha-

[1] Plura huius diminutionis testimonia heic fas sit adduci: fratres conversi ordinis Semprignanensis, a S. Gilberto fundati, octies tantum in anno communicabant. cf. Codex regul. ed. Holstenius Brokié, t. II. 503; Clarissae, post S. Francisci canonizationem, sexies et ad summum septies, ibid. III, 35, moniales O. S. Dominici quindecies, si permiserit confessarius, ibid. IV, 132; Tertiarii O. S. Franc. secundum regulam ter, ibid. III, 40; Tertiarii O. S. Dom. quater, ibid. IV, 145; S. Ludovicus rex Galliae, permittente confessario, sexies dumtaxat, cf. Bolland. Acta SS. august. V, 581; S. Elisabeth, regina Lusitaniae, ter, ibid. iul. II, 181 etc. Nonnulli scriptores his ultimis temporibus plurimi fecerunt, forte plus aequo, huiusmodi exempla, ut nimirum exinde e Sanctorum vita argumenta deducerent contra defensores communionis frequentis et quotidianae; recta sane intentione ducti ea scripserunt; at, ut videtur, haud satis temporum, locorum disciplinaeve circumstantias considerarunt; atque, nostra sententia, nimis indiscriminatim iudicarunt.

ristiae Sacramentum, nisi forte de proprii sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ab eiusmodi susceptione duxerit abstinendum » [1]. Liquet vero praeceptum huiusmodi aegre datum fuisse ac postremi remedii loco ; sed Ecclesiam summum semper habuisse desiderium ut fideles frequentius quam in Pascha ad sacram mensam reverenter pieque accederent, innuitur illis verbis : « *ad minus in Pascha* ».

55. Ceterum ipsa Ecclesia fervidos invenit auxiliares in pluribus, praesertim Mendicantium, religiosis Ordinibus, quorum studio excitata fuit piorum christianorum devotio. Commemorandus sane heic est S. Franciscus Assisiensis, de cuius in Sanctissimam Eucharistiam affectu ita enarrat Waddingus : « Flagrabat erga Sacramentum Dominici Corporis fervore omnium medullarum, stupore admirans permaximo illam carissimam dignationem et dignantissimam caritatem. Saepe communicabat et tam devote, ut alios devotos efficeret, dum ad immaculati Agni degustationem suavem quasi spiritu ebrius, in mentis plerumque rapiebatur excessum » [2]. Ipsemet autem Sanctus alludit SS. Eucharistiae frequentiae, cum scripsit : « Non movemur de his omnibus pietate (de iniuriis et irreverentiis scilicet), cum ipse pius Dominus in manibus nostris se praebeat et eum tractemus et sumamus quotidie per os nostrum ? An ignoramus, quia debemus venire in manibus eius ? » [3]. Item : « Ecce quotidie humiliat se, sicut quando a regalibus sedibus venit in uterum Virginis :

[1] Conc. Lateran. IV, c. *Omnis, de poenit. et remiss.*

[2] Annales Minorum t. I, ad ann. 1210, LVI, coll. S. Bonavent. in *Legenda maiori* c. 9.

[3] Opusc. S. Francisci, ep. XII, ed. Florent. 1880 p. 38, cit. ap P. Iosephum a S. Io. in Persiceto, *De SS. Comunionis frequentia in familiis religiosis*, Romae, 1905, p. 35.

quotidie venit ad nos ipse humilis apparens: quotidie descendit de sinu summi Patris super altare in manibus sacerdotis » [1]. Meminisse etiam iuvat e franciscali familia peculiarem societatum omnium a SS. Eucharistia Patronum electum fuisse S. Paschalem Baylon qui « inter eos, quorum ardor pietatis in praecelsum hoc fidei mysterium efferbuisse magis visus est, locum obtinet dignissimum » [2].

56. Praeterea Doctores, qui tunc doctrina simul atque sanctitate sua Ecclesiam Dei mira luce hac aetate illustrarunt, fere unanimi ore hortantur ad frequentem quotidianamque communionem, necnon de dispositionibus ad tantum Sacramentum suscipiendum necessariis aut exoptandis disserunt.

57. Alexander Halensis eamdem doctrinam tenet ac Gratianus, Hugo a S. Victore et Innocentius III. [3]. Iuxta ipsum, quaestio de frequentia accedendi determinanda est habita consideratione ad fidem et devotionem accedentis. « Si enim ex continua devotione et desiderio continuo et confidentia de assequendo effectu huius Sacramenti aliquis singulis diebus accederet, aestimo quod valeret sibi frequentia. Si quis ex reverentia tanti Sacramenti et ex timore suae indignitatis frequenter desisteret, aestimo quod illa reverentia et timore proficeret ». Attamen postea quaerens utrum magis digne expediat accedere frequenter ad sacram communionem quam semper vel quasi semper cessare observantiam Sacramenti reputatione suae indignitatis, respondet ex multiplici accessu multiplex provenire commodum et accedenti et aliis mem-

[1] Ibid. ep. XIII, p. 46, ap. P. Iosephum cit. Diversas Ordinis Seraphici familias servasse piam hanc a S. Fundatore commendatam praxim luculenter demonstrat idem Auctor p. 37 seqq.

[2] Leo XIII decret. « *Providentissimus Deus* » 28 Nov. 1897.

[3] Cf. supra n. 53.

bris Christi; ex cessatione vero a bono opere nullum provenire commodum [1]. Parum etiam dissident inter se B. Albertus M. et Gratianus; at ille, cum principia usui accommodet, vocem frequentem Communionem alio sensu, minus quidem lato, intellexit, nimirum de mense in mensem [2].

58. S. Thomas duobus in locis speciatim hanc materiam pertractat. Et quidem in *Summa theologica* hanc sibi proponit quaestionem: « Utrum liceat quotidie hoc Sacramentum suscipere », et, propositis obiectionibus, respondet: « Sed contra est quod Augustinus dicit in lib. de Verbis Domini: Iste panis quotidianus est, accipe quotidie, ut quotidie tibi prosit. — Respondeo dicendum quod circa usum huius Sacramenti duo possunt considerari: unum quidem ex parte ipsius sacramenti, cuius virtus est hominibus salutaris, et ideo utile est quotidie ipsum sumere, ut homo quotidie eius fructum percipiat. Unde Ambrosius (de Sacramentis, lib. IV c. 6, a. med.): "Si quotiescumque effunditur sanguis Christi, qui in remissionem peccatorum effunditur, debeo semper accipere; qui semper pecco, debeo semper habere medicinam „. Alio modo potest considerari ex parte sumentis, in quo requiritur, ut cum magna devotione et reverentia ad hoc sacramentum accedat. Et ideo si aliquis se quotidie ad hoc paratum inveniat, laudabile est quod quotidie sumat. Unde Augustinus cum dixisset: "Accipe quotidie, ut quotidie tibi prosit „, subiungit: "Sic vive, ut quotidie merearis accipere „ » [3].

[1] Summa theol. p. IV, q. XI, a 4 ℥ 1 ed. Venetiis, 1575, p. 222 sqq.

[2] In IV sent. d. XIII, a. 27, 28 ad ult. ed. Parisiis, 1894, t. 29, 378 sqq.

[3] III, q. 80, a. 10 coll. ad 1. ubi haec leguntur: « Et ideo quia quotidie homo indiget salutifera Christi virtute, quotidie potest laudabiliter hoc sacramentum suscipere ». Et: « Sed hoc Sacramentum est

59. Clarius vero ac forsitan explicitius mentem suam explicavit alio loco, nempe in commentario in IV lib. Sententiarum, ubi de his tribus agit: 1. « Utrum homo debeat frequentare hoc sacramentum .... — Respondeo dicendum ad primam quaestionem, quod ea quae in hoc sacramento geruntur, habent similitudinem cum his quae accidunt in corporali nutrimento. Quia enim fit quasi continua deperditio naturalis humiditatis per actionem caloris naturalis et exercitium laboris, ideo oportet frequenter corporalem cibum assumere ad restaurationem deperditi, ne perditio continua mortem inducat. Similiter etiam ex concupiscentia innata et occupatione circa exteriora fit deperditio devotionis et fervoris, secundum quae homo in Deum colligitur; unde oportet quod pluries deperdita restaurentur, ne homo totaliter alienetur a Deo » [1]. 2. « Utrum homo debeat frequentare hoc sacramentum qualibet die .... Ad secundam quaestionem, dicendum quod in hoc sacramento duo requiruntur ex parte recipientis: scilicet desiderium coniunctionis ad Christum, quod facit amor; et reverentia sacramenti quae ad donum timoris pertinet. Primum autem incitat ad frequentationem huius sacramenti quotidianam, sed secundum retrahit. Unde si aliquis experimentaliter cognosceret ex quotidiana sumptione fervorem amoris augeri et reverentiam non minui, talis deberet quotidie communicare; si autem sentiret per quotidianam frequentationem reverentiam minui et fervorem non multum augeri, talis deberet interdum abstinere, ut cum maiori reverentia et

cibus spiritualis; unde sicut cibus corporalis quotidie sumitur, ita et hoc sacramentum quotidie sumere laudabile est. Unde Dominus docet petere: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie* ».

[1] In IV sent. d. XII, a. I, quaestiunc. IV, solut. 1.

devotione postmodum accederet » [1]. 3. « Utrum laudabilius sit abstinere quam accedere ... Ad tertiam quaestionem dicendum, quod in his quae sunt ex genere suo bona, peccatum non accidit, nisi ex aliquo accidente, dum inordinate explentur; et ideo ea perficere per se bonum est; sed abstinere ab eis non est bonum, nisi ratione accidentis alicuius. Unde cum Eucharistiam accipere sit bonum ex genere, assumere eam est bonum per se, abstinere est bonum per accidens, in quantum scilicet timetur ne inordinate sumatur. Et quia quod est per se, praeiudicat ei quod est per accidens; simpliciter loquendo, melius est Eucharistiam sumere quam ab ea abstinere, quando aliquis probabiliter praesumit ex sumptione reverentiam non minui. Si autem haec duo ad invicem comparemus, adhuc invenitur praevalere sumptio sacramenti abstinentiae a sacramento, tum ratione effectus sacramenti, tum ratione praeparationis, *quantulacumque sit;* tum etiam ratione virtutis elicientis actum: quia sumere videtur esse caritatis, in qua radix meriti consistit; abstinere autem timoris: amor autem timori praevalet » [2].

60. Ad haec igitur reduci potest doctrina Angelici: *a*) cum virtus huius sacramenti hominibus imprimis salutaris sit, expedit quotidie illud sumere; *b*) potest quotidie frequentare, si ex eius susceptione experitur fervorem augeri et reverentiam non minui; *c*) si contrarium experitur, *interdum* abstineat; *d*) si haec duo ad invicem comparentur, videlicet an melius sit sacramentum sumere cum diminutione reverentiae, vel ab eo abstinere ne talis

[1] In IV sent. d. XII, solut. II, coll. III, q. 80, a. 10 ad 3.
[2] Ibid. a. III. quaestiunc. III, solut. III.

reverentia minuatur, sumptio sacramenti praevalet abstinentiae [1].

61. Unde patet iuxta S. Thomam, qui in hisce rebus Augustini inhaesit vestigiis, unumquemque relinquendum esse suae discretionis iudicio, utrum frequenter necne ad Eucharistiam accedere debeat, dummodo ad sacramentum reverentius devotiusque suscipiendum se praeparet. Ad quam praeparationem certe non requiruntur anni vel menses; sed quodvis tempus quamtumvis breve satis erit; non enim temporis longitudo facit hominem reverentem vel devotum, sed tum praeparatio per considerationem tantae Maiestatis suaeque propriae humilitatis et indignitatis cognitionem, tum vitae deterioris in vitam meliorem mutatio. Nil aliud porro requirit Angelicus nisi statum gratiae, non secus ac S. Augustinus et S. Hieronymus; de peccatis autem venialibus, uti postea videbimus, docuit ea a Sacramento deleri.

62. Alter Scholae princeps, Seraphicus scilicet doctor S. Bonaventura, eadem fere tradit, nempe, frequentem sumptionem Eucharistiae bonam esse recipienti cum mundo corde et caritate ardenti; frigido autem expedire raro accedere; medio modo se habenti convenire modo accedere, modo abstinere: « Si ergo quaeritur, utrum expediat frequentare alicui; dicendum, quod si se videat esse in statu Ecclesiae primitivae, laudandum esse quotidie communicare; si autem in statu Ecclesiae finalis (i. e. huius aetatis), utpote frigidum et tardum, laudandum est, quod raro; si autem medio modo, medio modo se debet

[1] Cf. Durand. a S. Portiano in IV sent. d. XIII, q. V. S. Antonin. Florent. summa theol. p. III, d. XIV, c. XII, p. V, qui tamen sat obscure loquitur et videtur nomine frequentis communionis probare menstruam; Gabriel Biel in IV sent. d. XII, q. II, concl. IV sq.; Caietan. in III, q. 80, a. 10 et alii theologi aetatis posterioris.

habere, et aliquando debet cessare, ut addiscat revereri; aliquando accedere, ut inflammetur amore; quia tali hospiti debetur honor, debetur et amor; et tunc secundum illam partem, secundum quam viderit se melius proficere, ad illam magis declinet, quod homo solum experientia discit » [1]. Alio loco: « Et si tu obiicias, quod nemo debet se privare illo Sacramento, cum sit medicina; dicendum, quod dilatio medicinae, ut melior fiat praeparatio, potius est promotio quam retractio a bono. Ad illud autem Sacramentum maxime praeparatur homo per desiderium et per reverentiam; et quando aliquandiu se retrahit, tunc desiderabilius sumit et reverentius accedit, maxime ille qui a peccato resurgit » [2].

63. Ea porro quae Seraphicus Doctor in regula novitiorum scripsit potius communionem hebdomadariam, in novitiorum domibus sui ordinis, ut constat, solitam, respiciunt; at in conclusione idem ac Augustinus, seu potius Gennadius in lib. de eccles. dogmatibus, iudicium profert, videlicet, quotidianam Eucharistiae receptionem nec laudat nec vituperat [3].

64. Perpulchra quoque idem S. Doctor habet *in lib. de praeparatione ad Missam*, quae, etsi directe ad sacrificium spectent, non tamen excludunt Eucharistiam ut est Sacramentum, quin e contra optime recteque applicari possunt communionis susceptioni: « Accedere indigne horrendum est iudicium, non accedere ex notabili negligentia vel contemptu damnabilis culpa (Beda). — Nam cum sacerdos (et item dicas de christiano) est abs-

[1] In IV sent. d. XII, p. II. q. II. ed. Ad Claras Aquas, 1889, opera omnia, t. IV, p. 296.

[2] Ibid. d. XVII, p. II, dub. IV, p. 448 sq.

[3] Opusc. XX *regula novitiorum*, c. IV *de communione* ed. cit. t. VIII, p. 480 sq.

que mortali peccato et in proposito bono, non habens legitimum impedimentum, et non ex reverentia, sed ex negligentia celebrare (seu communicare) omittit; quantum in ipso est, privat sanctam Trinitatem laude et gloria, Angelos laetitia, peccatores venia, iustos subsidio et gratia, in purgatorio existentes refrigerio, Ecclesiam Christi spirituali beneficio, et seipsum medicina et remedio contra infirmitates et quotidiana peccata; quia, sicut ait Ambrosius, si " quotiescumque effunditur sanguis Christi, toties in remissionem peccatorum effunditur; debeo illum semper accipere ut semper mihi peccata dimittantur; qui semper pecco, semper debeo habere medicinam „. Item privat se omnibus talibus provenientibus ex sancta Communione, quae sunt peccatorum remissio, fomitis mitigatio, mentis illuminatio, interior refectio, Christi et corporis eius incorporatio, virtutum roboratio, contra diabolum armatio, fidei certitudo, elevatio spei, excitatio caritatis, augmentatio et conversatio Angelorum ». Et concludit: « Ergo, quantum potes, toto conatu, per exercitium boni operis, lacrymarum contritionem et devotionis flammam, expelle a te omnem torporem et negligentiam, ne inveniaris respuere tantorum charismatum dona » [1].

65. Nec praeterea post tanti nominis viros omittendus est Thaulerus, theologus profundissimus unctioneque Spiritus Sancti excellenter illuminatus. Ipsi certum hoc fuit inter omnia exercitia quae quidem haberi possint, nullum tam excellens, tam divinum tamque ad summum bonum consequendum et intimam cum eodem obtinendam unionem

[1] Opusc. V tract. *de praeparatione ad Missam* c. I, 3, n. 9, t. VIII, p. 102, cf. quoque Dionys. Carthusian. in IV sent. d. XII, q. V, opera omnia, Tornaci, 1904, t. XXIV, p. 338 sqq. qui ad eamdem fere conclusionem venit ac S. Thomas et S. Bonaventura; Adrian. VI, quaest. in VI sent. de Sacr. Euchar. p. XXVII, col. III sqq. Romae, 1522.

securum esse quam saepius Dominici Corporis Sacramentum devoto corde percipere. Accedere vero qui cupit ante omnia munda illi a peccatis conscientia habenda est, deinde voluntatem sive desiderium ad Deum ex toto convertat atque omnibus illis, quae Deo displicent cum humili voluntatis suae resignatione valefaciat renuntietque necesse est. « Quisquis, ait ille, haec praedicta in seipso deprehendit, ille quo frequentius accedit, eo melius; nec facile tantam sibi gratiam subtrahi permittat ». Si aliquis autem frigidum, pigrumque et absque desiderio et devotione erga dignissimum hunc cibum se sentit, non ideo abstinere debet, dummodo peccati conscientia non mordeatur. Nec praeterea imperfectiones aut lapsus ex mera fragilitate removere debent a SS. Eucharistia: « Dum miseriis et peccatis gravatum se reperit, cum humili suae vilitatis et nihili agnitione, ad hunc thesaurum omnibus divitiis atque deliciis plenum accedat, et sentiet haud dubie in seipso, posse illum et divitem facere et onmem suam inopiam abunde supplere » [1].

66. Dominicus Soto, doctrinae S. Antonini insistens, praemissa, ut conditione necessaria, purgatione peccati mortalis, secundum diversos personarum status censet communionem frequentem esse concedendam. Hinc illis qui corruptis affectibus fluctuant, etsi quotidie resurgant, non est sanum consilium quotidie ad Sacramentum accedere, etiamsi sint Sacerdotes; aliis vero saecularibus coniugatis, qui rei familiari inserviunt, licet a peccatis mortalibus sint liberi, non consulit ipse frequentius quam a quindena in quindenam communicare; si vero inter saeculares sit ali-

[1] *Sermones de tempore et Instructiones,* Coloniae, 1552. Instruct. c. 38 p. 774 sqq.; *sermones de festo venerabilis Sacramenti* p. 310, 320, 327, 330; in sermone 4° usum frequentis communionis in ecclesia Coloniensi memorat; coll. serm. in dom. VII post Trinit. p. 395, 399.

qua persona et probitate et modestia insignis, nulla esset irreverentia, imo deceret forte semel in hebdomada communicare; crebrius autem nullatenus Soto approbat. Sacerdotes vero et religiosos, dummodo integrae sint et probatae vitae, non modo nulla est temeritatis effigies, verum est etiam religionis exemplum quotidie celebrare aut communicare [1]. Haec a Soto exposita principia revera iam in antiquioribus scriptoribus subobscure continebantur; ipse ea clarius evolvit, plurimumque auctoritatis nactus est apud subsequentes auctores.

67. Verumtamen, initio saeculi XVI, notatur in aliquibus saltem regionibus, praesertim in Italia, renovatio quaedam vitae christianae, qua frequentior fuit ad SS. Eucharistiam accessus. Dei enim Spiritu afflati, S. Antonius Maria Zaccaria et S. Caietanus singulari qua in sacram Eucharistiam ferebantur caritate frequentiorem huius Sacramenti usum instaurarunt promoveruntque. Imprimis autem summo studio, ut tale consequeretur incrementum enisus est S Ignatius, cuius incoeptum opus non minori zelo prosecuti sunt patres nascentis Societatis Iesu. Quam ob causam vocati sunt a quibusdam, maxime haereticis, in suspicionem haeresis, ea sola de causa, quod tanto molimine conarentur intrudere frequentationem sacrae Mensae crebriorem. Validissimum autem defensorem invenit Societas S. Thomam de Villanova [2].

[1] In IV sent. d. XII, q. I, a. 10, Duaci, 1613 coll. Navarrus, Enchiridion sive manuale confessariorum et poenitentium c. XXI, n. 59, Romae, 1590 t. I, p. 306 sq.

[2] Cf. Gobat, op. moral. t. I, p. I, tr. IV, cas. 4, n. 60 sq. coll. Const. S. I. p. 4, c. 4, § 3. Cacciaguerra, *tratt. della S. Comunione*, 1, 12. Ludov. Granatens., Memoriale vitae christianae p. I, l. III, c. 12. Praeclara huius studii Sancti Fundatoris S. Iesu testimonia invenies in epist. ad concives suos de Azpeitia mens. aug. vel sept. 1540, necnon

68. Haeres equidem huius erga SS. Eucharistiam devotionis fuit Salmeron, qui in instituenda Societate Iesu S. Ignatio adfuit. Postquam de diversis communicantium generibus egerit, quaerit ipse quidnam magis expediat laudabiliusque sit, an frequentius communicare, an rarius; et posito quod qui rarius accedit, nullum propterea peccatum admittat, respondet laudabilius ac fructuosius facere qui bono affectu frequenter ad Eucharistiam accedunt quam qui raro bene communicant, et ad probationem plures S. Scripturae textus adducit, vgr. Ioh. VI, 41 sqq.; Matth. VI, 11; Sap. XVI, 20; Exod. XXI, 14, Act. II etc., necnon primitivae Ecclesiae praxim. Ut porro fructuosa sit communio, nullam praeter statum gratiae aliam requirit dispositionem, licet ipse affirmet fructum quo perfectiores dispositiones fuerint, eo uberiorem esse. Ceterum ipsum non fugit hanc ipsammet perfectionem e frequenti Sacramenti susceptione consequi. Nec praeterea coniugatis speciales tradit regulas etiam pro quotidiana communione; tantummodo illis qui negotiis saecularibus occupantur, non suadet quotidianam communionem, ne ad tantum Sacramentum accedentes mentem a cogitatibus terrenis alienatam non habeant. Notatu vero dignum est doctrinam a Salmerone expositam plane consentaneam esse decreto Pii X [1].

69. Eadem prorsus habet Madridius, qui iubente S. Ignatio, opusculum de frequenti S. Eucharistiae usu scripsit. Ipse quoque laudat commendatque frequentem communionem, quam tamen praesertim hebdomadariam

in ep. ad Teresam Raiadellam Barcinonensem, die. 15 nov. 1543. *Monumenta historica* S. I. S. Ignatii epistolae, t. I, p. 181 sq., 274 sq. Madrid, 1903.

[1] Cf. op. cit. coll. infra n. 103 sq., ubi de diversa accedentis dignitate sermo est; Razón y Fé, 1906, t. XV, p. 239 sq.

intelligit, neque aliud requirit quam statum gratia rectamque intentionem. « Quodsi, pergit ille, in aliquibus suae doctrinae locis eximias quasdam virtutes desiderare videntur (S. Patres et Doctores), eas non tanquam necessarias, sed tanquam conducibiles exigere arbitramur, si quidem quo maior est recipientis dispositio, eo benignius sua dona liberalissimus Dominus confert. Ex his illud efficitur, imperfectionem virtutum et devotionis, ac reverentiae diminutionem quae non excludit hanc dignitatem, non reddere hominem indignum ad sumptionem huius Sacramenti, imo posse fructuose utiliterque accipere cum ea diminutione reverentiae ac devotionis, quae in ipsa sumptione solent saepe numero in Sacramentis donari et augeri ». Imo ex doctrina Sanctorum nullam ad bene se disponendum iudicat faciliorem viam, quam frequentem huius Sacramenti perceptionem [1].

70. Quamvis igitur constet christianos eo tempore ubique propemodum a recipienda communione fuisse alienos, doctrina nihilominus communis receptioni frequenti et quotidianae SS. Eucharistiae favet, nec antea ullus immunitatem ab affectu venialis peccati ad eam postulavit. Temperamentorum vero, si quae a theologis fuerint proposita, ratio potius requirenda videtur in cleri populique negligentia quam in principiorum ab illis traditorum mutatione.

[1] *De frequenti usu Eucharistiae Sacramenti*, Romae, 1567.

CAPUT IV.

DOCTRINA THEOLOGICA A S. CONCILIO TRIDENTINO USQUE AD S. ALPHONSUM MARIAM DE LIGORIO.

71. Ecclesiae, Salvatoris Nostri desiderium interpretanti, nihil unquam antiquius fuisse quam ut fideles frequenter ad SS. Eucharistiam accederent, indeque uberrimas colligerent gratias Deoque arctiori caritate copularentur, ex doctrina testimoniisque Patrum atque Doctorum hucusque allatis pro explorato habemus. Praeclarum porro ac novum huius solliciti animi testimonium est S. Concilii Tridentini hortatio, a Summis Pontificibus saepe saepius laudata ac a theologis viris illustrata.

Etenim de ratione institutionis huius Sacramenti loquens, Concilium ait: « Sumi autem voluit Sacramentum hoc, tanquam spiritualem animarum cibum, quo alantur et confortentur viventes vita illius, qui dixit: " *Qui manducat me et ipse vivet propter me* „; et tanquam antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis et a peccatis mortalibus praeservemur. Pignus praeterea id esse voluit futurae nostrae gloriae, et perpetuae felicitatis; adeoque symbolum unius illius corporis, cuius ipse caput existit, cuique nos, tanquam membra, arctissima fidei, spei et caritatis connexione adstrictos esse voluit » [1]. Et postea: « Demum autem paterno affectu admonet Sancta Synodus, hortatur, rogat et obsecrat per viscera misericordiae Dei nostri, ut omnes et singuli, qui christiano nomine censentur, ita hoc unitatis signo, in hoc vinculo caritatis, in hoc con-

[1] Sess. XIII, *de Eucharistia* c. 3.

cordiae symbolo iam tandem aliquando conveniant et concordent, memoresque tantae Maiestatis et tam eximii amoris Iesu Christi Domini nostri, qui dilectam animam suam in nostrae salutis pretium, et carnem suam nobis dedit ad manducandum; haec sacra mysteria Corporis et Sanguinis eius, fidei constantia et firmitate, ea animi devotione ac pietate et cultu credant et venerentur, ut panem illum supersubstantialem frequenter suscipere possint... » [1]. Quapropter, postquam sensum suum ita significaverit, nihil mirum si fideles ad quotidianam sacratissimae Eucharistiae susceptionem hortetur: « Optaret quidem sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes, non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiae perceptione communicarent, quod ad eos sanctissimi huius sacrificii fructus uberior perveniret » [2].

72. Paululum, si libet, his verbis immoremur. Quantumvis enim laudabilem animaeque proficuum habeat S. Synodus spiritualis communionis usum, perfectiora altioraque fidelibus cupit, nimirum ut Missae Sacrificio adstantes sacramentali perceptione Eucharistiae reficiantur. Quam quidem antiquam consuetudinem a Patribus probatam vidimus, hanc ipsam S. Synodus cupit instauratam. Neminem vero ab huius SS. Mysterii participatione Concilium arcet, quin e contra: optando scilicet ut fideles Missae adstantes divino illo pane recreentur, significat huic Sacrificio assistentes posse, rite dispositos, communicare. Illa vero assistentia omnibus cuiusvis conditionis vel status christianis enixe commendatur; commendari quoque illam Sacrae Mensae participationem iam perspicuum est. Intima porro illa quae interest assistentiam

[1] Sess. XIII, *de Eucharistia* c. 8.
[2] Sess. XXII, *de Sacrificio Missae*, c. 6.

inter et Sacrificii participationem affinitas frequenter inculcatur in ipsa integra liturgia Sacrificii Missae, vgr. in canone Missae: « *Ut nobis Corpus et Sanguis fiat dilectissimi Filii tui Domini Nostri Iesu Christi....* ». « *Ut quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum Filii tui Corpus et Sanguinem sumpserimus, omni benedictione et gratia repleamur....* » vel in orationibus post communionem: « *Quod ore sumpsimus, Domine, pura mente capiamus....* » « *Satiasti, Domine, Familiam tuam muneribus sacris....* ». Caveant autem ne exaggeranter urgeatur illa connexio, adeo ut fidelium communio tanquam sacrificii complementum habeatur necessarium, quod haeretici contendebant [1]. Et revera ad Sacrificii essentiam non pertinet, ut ei aliqui intersint et de Sacramento participent; omne enim sacrificium refertur ad Deum et eius fructum ad eum qui abest, sicut ad eum qui adest pervenire potest [2].

73. Hanc reipsa fuisse S. Synodi voluntatem ut quotidie Sacrae Mensae participent fideles, non est cur dubitemus: documenta Sedis Apostolicae passim citanda, communis theologorum sententia hoc luculenter probant; imo

[1] Cf. Conc. Trid. l. c. can. 8: « Si quis dixerit, Missas, in quibus solus Sacerdos Sacramentaliter communicat, illicitas esse, ideoque abrogandas, anathema sit ».

[2] Nonnulli S. Ioh. Chrysostomi textus, ni bene intelligantur, facile in errorem inducere possunt, vgr. hom. 3. in c. 1 Ep. ad Ephes. ubi ait: « *Frustra habetur oblatio quotidiana, cum nemo sit qui participet* ». P. G. t. 62, 29., quae a Bellarmino t. III, controv. VI de Sacrif. Missae, c. X recte explanantur: « *Dico illa verba, frustra fit oblatio quotidiana, non significare absolute oblationem frustra fieri, sed frustra quatenus ordinatur ad communionem. Nam cum celebratio Missae partim ordinetur ad sacrificium Deo offerendum, partim ad populum sacro illo pane reficiendum, cum nulli sint qui communicent, frustra fit, quatenus ordinatus ad posteriorem finem, sed non fit frustra quatenus ordinatur ad finem priorem. Itaque Chrysostomus, etiamsi dicat frustra fieri, non tamen omittebat quotidie sacrificare, quod certe fecisset, si absolute frustra fieri existimasset* ». Cf. Benedictum XIV. *de Sacrificio Missae*, l. II, c. XXII, n. 14, edit. Patavii, 1768.

Lugo, etsi principia posuerit aliquantulum severiora, scripsit « in genere loquendo, non expedire prohibere omnes fideles absolute a communione quotidiana: hoc enim esset prohibere illos ab eo quod de se est perfectius et utilius » [1].

74. Testimonium equidem mentis S. Concilii firmissimum habemus ex Catechismo Romano, quem Patres eiusdem sacri Concilii confici voluerunt quemque probavit imprimis S. Pius V. « Quare parochi, ait, partes erunt, fideles crebro adhortari, ut, quemadmodum corpori in singulos dies alimentum subministrare necessarium putant: ita etiam quotidie hoc sacramento alendae et nutriendae animae curam non abiiciant » [2]. Exstant quoque SS. Congregationum responsa, praesertim epistola S. Congregationis Concilii ad Episcopum Brixiensem, 9 jan. 1587 [3], necnon decreta conciliorum provincialium qui post Tridentinum fuerunt celebrata [4].

[1] *De Eucharistia*, disp. XVII, sect. 1. n. 2.; Barbosa hunc locum sic exponit: « Expresse Concilium in praesenti supponit esse conveniens, laudabile et consulendum ut quotidie Eucharistiam sumant fideles, dum optat, ut in singulis missis adstantes communicent ». *Collectanea Doctorum in Concilium Tridentinum*, in h. l. coll. S. Alphons., *Praxis confessar.* n. 150. Obiicienti quod tum liceret pluries communicare, cum aliquis pluribus assisteret missis, respondet Lugo: « Futile sane argumentum, sicut si inferres ex eodem loco Concilii, posse aliquem communicare bis eodem die, quia Concilium optat quod communicet in omnibus missis quas audit: contingit autem audire eodem die plures missas. Ridicula esset consequentia, quia Concilium supponit terminos habiles, quod scilicet illa die non communicaverit, sit rite absolutus a proprio sacerdote, et quod ab eodem habeat veniam accipiendi Eucharistiam » l. c.

[2] *De Sacramento Eucharistiae* n. 54, ed. Tornaci, 1890 coll. Ritual. rom. tit. IV. C. I. 2 et 7.

[3] Cf. textum et alia documenta SS. Congreg. in appendice.

[4] Cf. conc. prov. Neapolit. 1699, tit. III, C. IV, n. 5, *Collect. Lacens.* t. I, p. 182, c.; conc. prov. Avenionensis, 1725, ibid. 527, d.; conc. prov. Ebredunensis, 1727, c. VI, 1, ibid. 629, b.; synod. dioeces.

75. De dispositionibus autem ad frequentem communionem requisitis magna orta est hac aetate inter scriptores dissensio: alii quidem severiores, alii vero mitiores proposuerunt regulas. Inter auctores porro qui certis SS. Eucharistiam suscipiendam circumscripserunt limitibus, nominandi sunt theologi Societatis Iesu, quae, ut ait Lugo, « licet ab eius ortu in frequentiam huius Sacramenti valde fuerit propensa, semper tamen cautissime communionem quotidianam dari voluit, et nonnisi

Bahiensis, 1707, ibid. 850, d.; synod. Montis Libani, 1736, p. II, c. XII, 15, ibid. t. II, 202; conc. prov. Baltimorensis II, 1866, tit. V, c. IV, ibid. t. III, 259 sq., 466 b.; conc. prov. Quebecensis, 1854, decret. X, § 2, ibid. 640 sq.; conc. prov. Casseliensis, 1853, tit. III, ibid. 834, a. c.; conc. prov. Tuamensis, 1858, c. XIV, ibid. 885, b.; conc. prov. Westmoracensis I, 1852, decr. XVIII, ibid. 931, b., 1338, d.; conc. prov. Australiensis I, 1844, decret. XI, § VI, ibid. 1051, a.; conc. nation. Thurlesian. 1850, ibid. 1310, b.; conc. prov. Remensis, 1849, tit. VII, c. V, ibid. t. IV, 117 sq.; conc. prov. Avenion., 1849, tit. IV, c. IV, 2, ibid. 338, d.; conc. prov. Albiensis, 1850, tit. V, decret. I, 4, ibid. 430, a.; conc. prov. Burdigalensis, 1850, tit. III, c. IV, 1, 2, ibid. 569, b. c.; conc. prov. Senonensis, 1850, tit. III, c. IV, ibid. 889 sq.; conc. prov. Aquensis, 1850, tit. VII, c. IV, § 3, ibid. 990, d.; conc. prov. Bituricens., 1850, tit. V, decr. *de Eucharistia*, ibid. 1115 sq.; conc. prov. Auxitanae, 1851, tit. III, c. I. § 3, 84, ibid. 1187, a. b.; conc. Strigonense, 1858, tit. III, § 4, ibid. t. V, 21, a.; conc. prov. Viennensis, 1858, tit. III, c. VI, ibid. 167, b. c.; conc. prov. Coloniensis, 1860, tit. II, c. XIII, ibid. 349, c. d.; conc. prov. Pragensis, 1860, tit. IV, c. VI, ibid. 502 sq.; conc. prov. Colocensis, 1863, tit. III, c. V. ibid. 649, a.; tit. VI. c. I, 692, a; c. X, 707 sq.; conc. prov. Ultraiectensis, 1865, tit. IV. c. I, ibid. 812, c.; c. IV, V, 820, b. c.; 823, a.; litterae Archiep. Viennensis et Pronuntii Apost. ibid. 1246, b.; conc. prov. Urbinatensis, 1859, p. I, tit. VI, 21, ibid. t. VI; 15, c.; conc. prov. Ravennat. 1855, p. II, c. IV, 4, ibid. 155. c.; conc. prov. Veneti, 1859, p. III, c. XXII, § 4, n. 6, ibid. 332 sq.; conc. prov. Neogranatensis, 1868, tit. IV, c. IV, ibid. 505, c.; synodus vicariatus Sutchuensis, 1803, c. IV, ibid. 599, d.; encycl. Pii IX « *Nostis* » ad Episcopos Italiae, 8 dec. 1849, ibid. 92, b.; synod. dioeces., Neapolit. 1882, c. IV, n. IV; synod. dioeces. Mediolan. 1902, n. 243, p. 71.; conc. plen. Americae latinae, *Acta et decreta*, 1899, tit. V, c. IV, n. 525 sqq. etc.

probatae vitae, et eximiae virtutis testimonio praeeunte » [1]. Ecce aliqua testimonia.

76. Toletus laudabilem et multum utilem existimat communionem frequentiorem et magis assiduam, at simul censet eamdem frequentiam omnibus non esse consulendam, praesertim laicis. Hinc pro gradu dispositionum in diversas classes communicaturos distribuit: videlicet illis qui non multum pollent cognitione et discretione, qua Sacramenti dignitatem penetrent, ut sunt rustici, servi, et alii huiusmodi, sufficit singulis mensibus semel communicare, donec magis a Deo, per donum intellectus et sapientiae, illuminentur. Aliis vero qui magis callent, sed cura domus et familiae et negotiis saecularibus occupantur, et non possunt ita mentem habere a cogitatibus terrenis alienatam, sufficit singulis quindenis communicare. Aliis denique, qui, licet negotiis occupati, non tantum tamen distrahuntur, et etiam coniugati, esset expediens singulis communicare dominicis. Et concludit: « Frequentior communio non est in universali consulenda, sed remittendum hoc est ad iudicium confessarii qui in his et aliis considerabit diligenter, quid in particulari cuique sit magis expediens » [2]. At ipse Toletus videtur etiam

[1] L. c. sect. 2, n. 15. Plerumque theologi S.ti I. secuti sunt regulam XXVI. sacerdotum: « Ut pium est ad frequenter communicandum fideles adhortari; ita quos ad id propensos viderint, admonere debent, ne crebrius, quam octavo quoque die accedant; praesertim si matrimonio sint coniuncti ». Illas regulas instituit Lainez, immediatus S. Ignatii successor.

[2] *Instructio sacerdotum ac poenitentium*, l. VI, c. 19, ed. Romae, 1618 p. 507, coll. in III q. 80, a 10, sexta conclusio; in 5ª conclusione definit quid sit *digne frequentius communicare*, dicens: « Voco *dignum* qui non habeat conscientia peccati mortalis.... sive devotus sit multum, sive parum.... »; et in responsione ad 5. haec habet meditanda: res divinae « minus cognoscuntur ab eo, qui minus gustat et experitur;

requirere ut communicaturus absque affectu peccati venialis existat dicens: « Nota omnia venialia remitti per hoc sacramentum, nisi id, in cuius affectu homo ipse manet tempore sumptionis » [1].

77. Vasquez, citata SS. Ambrosii, Hieronymi et Augustini sententia, sic concludit: « Iam vero in Ecclesia usitatum video, ut frequentius quam octavo quoque die, raro, nonnisi hominibus probatae virtutis; singulis autem diebus rarissime et paucissimis hoc Sacramentum conceditur: huius tamen rei iudicium certius *piis et doctis* confessariis relinquitur » [2].

78. Suarez non despiciendas auctoritates adducit ad commendandam frequentem communionem, et tamen concludit: « Raro esse alicui concedendum, ut ordinaria consuetudine frequentius, quam octavo quoque die communicet. Ita significant Doctores citati; et ita sentiunt prudentes et experti viri in hac materia, et communis usus Ecclesiae non parum favet. Ratio autem est, quia hoc modo, et sufficienter subvenitur fructui animarum; et ratio etiam habetur reverentiae debitae sacramento; nam regulariter loquendo, tot sunt humanae vitae negotia et impedimenta, quae et animum distrahunt, et tempus occupant, ut non possint homines frequentius accedere cum debita dispositione, nec tantum temporis huic actioni dare, quantum par esset; hoc tamen semel in hebdomada praestare regulariter non est difficile; imo hinc saepe eveniet, ut una communio, facta opportuno tempore, cum maiore fiat fructu, quam plures sine debita praeparatione et gra-

magis autem ab eo, qui frequenter accedit; cumque non defectum, sed copiam habeant perfectionis, non contemptum, sed maiorem devotionem, amorem et reverentiam parit frequentatio ».

[1] In III l. c. a. 3.

[2] In III, q. 80. a. 11, disp. 214, q. 103, n. 23.

tiarum actione » [1]. Eamdem sententiam propugnat Lugo, l. c. [2].

79. Heic etiam citandus est S. Franciscus Salesius qui, forsan doctrina Gennadii deceptus, sat perfectas dispositiones exigit: scilicet pro communione hebdomadaria, ut fidelis immunis sit ab omni peccati mortalis labe, ab omni peccatorum venialium studio ac voluntate, simulque vehemens desiderium SS. Eucharistiae suscipiendae flagret; praeterea pro quotidiana, ut domitas habeat libidines et accedat confessarii consilium [3]. At nescimus quomodo hic exposita doctrina cum propositione cohaereat sequenti, in qua non modo perfectos, verum et imperfectos et spiritualiter aegrotos ad frequentem invitat communionem [4].

80. Illi ergo Doctores, scientia et vitae sanctitate clarissimi, non solum statum gratiae et rectam intentionem, sed etiam alias requirebant dispositiones: nempe magnam devotionem et reverentiam, probatam vitam et eximiam virtutem; unde nec omnes indifferenter ad quotidianam frequentemve communionem admittebant, atque pro laicorum communione certum assignabant terminum.

[1] In III, q. 80, a. 11, disp. 69, q. 55 n. 6 sq. ed. Vivès t. 21. p. 542.

[2] Cf. quoque Laymann, Theol. moral. l. V. tr. IV, c. V. n. 7. Bonacina, de Sacr. Euchar. d. IV, q. VII, p. II, n. 16.

[3] *Introduction à la vie dévote*, p. II, c. 20.

[4] « Si les mondains vous demandent pourquoi vous communiez si souvent, dites-leur que deux sortes de gens doivent communier: les parfaits et les imparfaits; les forts, afin qu'ils ne deviennent faibles, et les faibles afin qu'ils deviennent forts; les malades afin d'être guéris, et les sains afin qu'ils ne tombent en maladie.... Dites-leur que ceux qui n'ont pas beaucoup d'affaires mondaines doivent souvent communier, parce qu'ils en ont la commodité, et ceux qui ont beaucoup d'affaires mondaines, parce qu'ils en ont la nécessité.... Dites-leur que vous recevez le Saint Sacrement pour apprendre à le bien recevoir, parce que l'on ne fait guère bien une action à laquelle on ne s'exerce pas souvent. Communiez souvent, et le plus souvent que vous pourrez, avec l'avis de votre père spirituel ». Ibid. c. 21.

81. Alii vero, frequentem et quotidianam propugnantes communionem, sentiebant, quod dispositiones attinet, sufficere statum gratiae rectamque intentionem. Nonnulli tamen eorum, exaggerationibus proniores, tenebant insuper communionem quotidianam omnium existentium in gratia esse de iure divino, ideoque eos posse, suscipere communionem quotidie, etiam in feria sexta Parascevae, non solum absque licentia confessarii aut praelati, sed eis etiam invitis et contradicentibus.

82. Praeter S. Philippum Nerium, ardentissimus communionis quotidianae apostolus fuit S. Carolus Borromaeus, cuius hac in re auctoritas plurimum facit, cum ipse S. Tridentinae adfuerit Synodo eiusque mentem optime cognoverit. In actis enim Ecclesiae Mediolanensis, S. Carolus iubet parochos et praedicatores ad frequentem huius sacramenti usum cohortari fideles poenasque indicit contra reluctantes [1].

[1] En textum instructionis *de frequenti sacrae communionis usu:* « Ad saluberrimum igitur huius sacramenti frequenter sumendi usum Parochus fideles cohortabitur, atque excitabit, nascentis Ecclesiae institutis ac exemplis et sanctorum Patrum omnium consentiente doctrina, ut ex catechismo romano discere poterit, et sententia oecumenicae synodi tridentinae: quae optaret quidem fideles in singulis missis non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiae perceptione communicare. Curabit certe, ut præter Paschatis communionem, quae Ecclesiae praecepto necessaria est, saltem in praecipuis sollemnitatibus, veluti die Natali Domini, Epiphania, Pentecoste, in diebus item festis maioribus beatae Mariae Virginis communicent.

« Crebris praeterea monitis, illud quod beatissimus Silverius Pontifex statuit, in consuetudinem revocare studebit, ut, qui saepius non communicant, in quadragesima saltem dominicis diebus corpus Domini sumant, et die item Coenae Domini ex antiquo instituto: ac praeterea in adventu itidem praestent.

« Eam praeterea consuetudinem in parochia sua introducere studebit, ut quoties quis iter longum aut infestum, remque arduam et difficilem, etiam in qua nullus mortis periculum extimescendum sit, aggre-

83. Inter praecipuos huius sententiae defensores praeterea commemorandus est P. Antonius de Molina, monachus carthusianus, cuius doctrina, quam in pluribus confirmat decretum S. Congr. Concilii auctoritate Pii X editum, ad haec sequentia capita reduci potest: 1. laici omnes ad confessarii arbitrium se conforment; 2. confessarius examinet studiose intentionem et finem eius qui frequentare desiderat sacram Communionem; 3. considerandus est status personae, ut frequentet SS. Sacramentum et obligationibus se solvat, quibus ex parte eius tenetur; 4. advertendum quid per communionem proficiat aut deperdat communicans: non tamen illa facile omittatur, quamvis clarus non appareat profectus; 5. dilatio non addit communicaturo maiorem reverentiam melioremve dispositionem, quin ad hoc ipsa frequentia plurimum confert; 6. Christus magno afficitur honore, cum a fidelibus SS. Sacramentum frequentatur [1]. De dispositionibus autem agens, ipse nullam aliam requirit nisi statum gratiae [2].

dietur; qui item aliqua gravi perturbatione, vel ex filiorum coniugisve obitu, vel ex bonorum amissione, vel ex alia re adversa affligitur, sacram communionem confessus suscipiat. Idemque faciat, itinere vel negotio difficili quod susceperit, confecto, vel quocumque beneficio accepto, gratias Deo acturus huius Sacramenti sumptione: in quo praecipua quaedam ratio inest, quo Deo pro immensis in nos collatis beneficiis aliquam gratiam pie referamus.

« Curabit item, ut mulieres proxime pariturae hoc ipsum praestent, ac praeterea cum primum a puerperio ad ecclesiam accedent ». Acta eccles. Mediolan., p. IV, p. 512, *Instructio de Sacramento SS. Eucharistiae*, ed. 1599; coll. p. 486, 1; Conc. prov. III, p. I, *de iis quae ad Sacram. Eucharistiam pertinent*, p. 92.

[1] *Instructio Sacerdotum*, versio latina a P. Nicolao Ianssenio Boy, O. Pr. Antwerpiae, 1618, tr. VII, c. V, §§ 1, 2, 3, 5, 6, 9 p. 662 seqq.

[2] « Nunc reliquum est ut enucleetur, quandonam homo recte dispositus dici possit; quod supra ostendimus, ubi est sententia Sanctorum et theologorum omnium: qui conscientiam habet nulla morti

84. Molinae assentitur P. Marzilla, monachus benedictinus; sed hic in errorem incidit, cum affirmet poenitentem non teneri consilio confessarii obtemperare, sed eo ipso quod absolutionem sacramentalem obtinuerit, uti iure suo, si, invito etiam ac dissuadente confessario, ad communionem accedat, nec confessarium ius habere denegandi communionem ei qui se recte dispositum existimet [1].

85. Parum dissentit Falconi, O. de Mercede, qui statum gratiae sufficere ad quotidianam Communionem contendit, nec oportere, ut quis iam perfectionem assecutus fuerit, cum communio non sit virtutis merces, sed imperfectioni remedium. De cetero autem hortatur ipse fideles

fera labe infectam; sin minus sublatis per confessionem peccatis de cetero proponit ad virtutem incumbere; hic tuto communicet magnam utilitatem percepturus », ibid. c. VII § 2 p. 688 sqq., ubi haec addit quae magni momenti videntur: « Huic me confirmans dico me optare et desiderare vehementer, ut Praedicatores et Confessarii ac omnes qui saluti invigilant animarum, optarent et conarentur efficere, plurimi essent, qui se ad communionem quotidianam compararent; ut consuetudo illa sanctissima, quae olim viguit, si non ex toto, ex parte, quoad fieri posset, revocaretur ».

[1] *Memorial Compostelano*, cum *Adiciones al memorial*, Zaragoza, 1613, cf. etiam Lugo l. c. qui eum refutat et periodicum *Razón y Fé*, 1906, t. XV, p. 243 sq. Cum Marzilla sentiunt Chinchilla, *Consideración de la comunión*, 1608; coll. Madrid, 1611; Alonso Curiel, *Tratado de la frequencia de la comunión*, Salamanca, 1609; Ioseph a S. Maria, O. S. Fr., *Apologia de la frequencia de la sagrada comunión*, Madrid, 1619, et praesertim Maurus y Valderas, O. S. B., *certamen theologicum* cit. ap. Lugo l. c. sect. I, 6, qui tamen Magistri sui sententiam paululum temperavit, cum dicat rusticis et ignaris non esse consulendum accedere sine licentia confessarii, eo quod facile possit contingere incidisse tales in aliquod lethale, cuius speciem aut gravitatem ignorent et accedant sine gratia ad hoc Sacramentum. — Matthaeus de Villaroel, *de la necessitad de la oración y frequente comunión*, Madrid, 1635. Antonio Velasquez Pinto, *Tesoro de los christianos*, Madrid, 1662. Iohannes Sanctius, *selectae disputationes*, disp. 22. n. 7 Madrid, 1624.

ut sese ab illis imperfectionibus liberent, et sic magis dispositi ad sacram mensam accedant: imo ipse putat aliquando voluntariam huius coelestis doni privationem esse opportunam. At confessario ius denegat quemque a quotidiana communione avertendi, qui sit recte dispositus [1].

86. Nec sane horum virorum inanis fuerat opera; etenim multis in locis, maxime in Italia et Hispania, communionis frequentia augebatur christianaeque vitae cultus vulgo florebat melius. At sicut pleraque mortalium habentur, nonnulli irrepserunt abusus, quos redarguit condemnavitque decretum S. C. Concilii « *Cum ad aures* » 12 febr. 1679 [2]. Eo enim ventum erat, ut aliqui non in Ecclesia, sed in privatis oratoriis et domi, imo cubantes in lecto, et non laborantes ulla gravis infirmitatis nota sumerent Sacrosanctam Eucharistiam, quam argentea theca inclusam in crumena, aut secreto illis deferebant Sacerdotes saeculares et regulares; quin, alii in communione accipiebant plures formas vel particulas vel grandiores solito [3].

Celeberrimum autem illud decretum, cuius momentum atque pondus neminem fugit, practicas tradidit de communione frequenti et quotidiana regulas, quae, prudenter intellectae, norma agendi tuta fuissent. Ait enim: « Etsi frequens quotidianusque Sacrosanctae Eucharistiae usus a SS. Patribus fuerit semper in Ecclesia probatus, nunquam tamen aut saepius illa percipiendi aut ab eo abstinendi certis mensibus aut hebdomadis dies statuerunt, quos nec Concilium Tridentinum praescripsit, sed quasi humanam infirmitatem secum reputaret nihil praecipiens,

[1] *El pan nuestro de cada dia*, Madrid, 1660, opus gallice versum a P. Couet, Paris, 1893 pp. 11 sq., 22 sq., 26 sq., 60.

[2] Cf. textum in appendice.

[3] Cf. decretum sub initio.

quod cuperet tantum indicavit cum inquit: *Optaret quidem sacrosancta Synodus ut singulis missis fideles adstantes sacramentali Eucharistiae perceptione communicarent.* Idque non immerito; multiplices enim sunt conscientiarum processus, variae ob negotia spiritus alienationes, multae e contra gratiae et Dei dona parvulis concessa, quae cum humanis oculis scrutari non possunt, nihil certi de cuiusque dignitate atque integritate, et consequenter de frequentiori aut quotidiano vitalis panis esu potest constitui, et propterea quod ad negotiatores ipsos attinet, frequens ad sacram alimoniam percipiendam accessus confessariorum secreta cordis explorantium iudicio est relinquendus, qui, ex conscientiarum puritate et frequentiore fructu et ad pietatem processu, laicis negotiatoribus et coniugatis, quod prospicient eorum saluti profuturum, id illis praescribere debebunt »[1].

Doctrina decreti igitur ad haec reduci potest: 1. communionis frequentis et quotidianae usus laudabilis est ac commendandus [2]; 2. nulla certa statui potest regula de communione frequenti; 3. nullus coetus sive negotiatorum sive coniugatorum per se a sacra alimonia frequenter aut quotidie percipienda prohibetur; 4. sed de hac frequentatione iudicium confessario est relinquendum; 5. dispositiones requisitae sunt conscientiae puritas, frequentiae fructus et processus ad pietatem.

[1] Cf. vota consultorum et praesertim Card. Laurentii de Laurea in Anal. iur. pont. l. c. p. 798 sqq.

[2] Alio loco legimus: « Episcopi, autem, in quorum dioecesibus viget huiusmodi devotio — nempe quotidiana communio — erga SS. Sacramentum pro illa gratias Deo agant, eamque ipsi, adhibito prudentiae et iudicii temperamento, alere debebunt, et ab eorum officio postulari maxime persuadebunt, nulli labori aut diligentiae parcendum, ut omnis irreverentiae et scandali suspicio in veri et immaculati Agni perceptione tollatur, virtutesque ac dona in sumentibus augeatur ».

87. Interim autem in Gallia, specie devotionis, virus iansenisticum grassabatur, animosque multorum serpens invaserat. Cuius haereseos coryphaeus, nimirum Antonius Arnaldus, tractatum communioni frequenti infensissimum celebris Abbatis de Saint-Cyran, alias Jean Duvergier de Hauranne, adversus contradictores defendens, proprium hac de re edidit opus, eo nimirum fine ut promoveretur Catholicae Ecclesiae reformatio atque restitutio disciplinae. Iuxta istum heresiarcham, ut quis digne communicet, non satis est eum esse immunem omnis peccati, mortalis et venialis; sed oportet eum attigisse summum gradum perfectionis, qui sublimior sit sanctitate Apostolorum, aut quorumvis aliorum Sanctorum; nisi velit Deum offendere atque excommunicationem subire. Praeterea contendebat non satis esse a peccatoribus fieri confessionem sacramentalem, ut admittatur ad participationem mysteriorum; sed differendam esse Communionem, donec satis expiarint peccata mortalia, ampliore satisfactione quam ea, quae iis imponitur in Sacramento [1]. Quam perniciosa atque perfida fuerit ista heresis, non est heic dicendum; nec equidem mirum, si eam Sedes Apostolica proscripserit atque sollemniter damnaverit [2].

88. Doctrina catholica praeclarum habuit inter coeteros defensorem Petavium, qui solidis argumentis atque mira eruditione, Arnaldum fuse confutavit [3]. Tacere vero

[1] *De la fréquente communion : Où les sentiments des Pères et des Papes et des conciles touchant l'usage des sacrements de Pénitence et d'Eucharistie sont fidèlement exposés*, Paris, 1643.

[2] Cf. prop. 22 et 23 a decreto « *Sanctissimus* » Alexandri VIII 7 dec. 1690 proscriptas necnon decretum iam cit. « *Cum ad aures* ». Plus minusve hic error infecit nonnullos theologos e Gallia, inter quos Contenson in sua *Theologia mentis et cordis*, l. XI, p. II, diss. IV, c. II.

[3] *De Poenitentia publica et praeparatione ad communionem*, lib. VIII ad calcem operis : *de theologicis dogmatibus*, t. IV, p. 203 sqq. Antwerpiae 1700.

non possumus alium tanti nominis virum, quem Leo XIII in albo Sanctorum posuit, nempe S. Iohannem Baptistam de la Salle. Hic namque omnia ad impugnandum iansenisticum errorem adhibuit media; praecipue autem inter sodales suae nascentis congregationis usum frequentis et quotidianae communionis promovit [1].

CAPUT V.

DOCTRINA S. ALPHONSI MARIAE DE LIGORIO, DOCTORIS ECCLESIAE, ET ALIORUM THEOLOGORUM RECENTIORUM.

89. Post editum decretum « *Cum ad aures* » quo norma doctrinae certa dabatur, deprehendere licet in populo christiano augmentum fervoris erga SS. Sacramentum maioremque divini Mysterii participationem. At, etsi theologi generatim docuerint hanc ipsam frequentiam iudicio confessarii relinquendam esse, ipsi tamen de applicatione practica harum regularum dissentiebant [2].

[1] Cf. Un antagoniste du Jansénisme ou la mission eucharistique de S. Jean-Baptiste de la Salle, panégyrique du P. Tesnière, de la Cong. du T. S. Sacrement. En aliqua testimonia: « Mangez donc de ce Pain divin volontiers, avec affection et le plus souvent que vous pourrez, puisque, si vous savez y trouver tout le goût qu'il renferme, il donnera à votre âme, sur la terre, une vie toute céleste ». — « Que l'homme est heureux de pouvoir se rassasier d'un tel Pain, et aussi souvent qu'il le veut ». — « Puis donc que vous ne pouvez pas trouver un remède plus efficace à vos tentations et à vos chutes que la réception du corps de Jésus-Christ, recevez-le souvent, afin que par son moyen votre âme ne tombe aisément dans aucun péché! » p. 31, 33 etc. etc.

[2] Cf. Cardenas, *Crisis theologica*, p. III, d. 66; Viva, *Damnatarum thesium theologica trutina*, Patavii, 1713, p. II, 137 sqq.; p. III, 89 sqq., 92 sqq.; Lacroix, *Theologia moralis*, t. II, l. VI. p. I, tr. III, c. II, a. 3,

90. Singulare reipsa fuit S. Alphonso meritum inter tot tamque diversas sententias posuisse principia, quae, a laxismo pariter atque a rigorismo aliena, confessariis inservirent ad dirigendas animas frequentioris communionis cupidas. Tamquam principium inconcussum, ipse S. Doctor tenet pastores animarum non posse negare communionem cuicumque qui non sit publice peccator, et quoties rationabiliter petat; praeterea iudicium de poenitentis dispositionibus confessario esse relinquendum. Distinguit praeterea triplicem communionem, scilicet hebdomadariam, frequentem, i. e. pluries in hebdomada receptam, denique quotidianam, et de his proprias statuit regulas.

91. *Communio hebdomadaria*, et, si occurrat aliqua sollemnitas, bis in hebdomada, permitti et suaderi potest omnibus, qui peccata mortalia evitare solent, vel nonnisi raro et potius fragilitate in ea labuntur, et solliciti sunt de sua emendatione; imo, etsi in ea relabantur, ob eorum spiritualem necessitatem, dummodo conentur ab huius habitudine sese liberare, concedenda est communio hebdomadaria, e qua acquirunt robur ad non relabendum. Nec aliter agendum cum iis qui peccata venialia deliberata committunt, cum gratia Sacramenti eos a mortalibus praeservet. Attamen, si eiusmodi poenitentes peccatis venialibus deliberatis assueti sint, nec ulla emendatio aut emendationis desiderium appareat, expediret illis aliquando communionem interdicere, ut sic eis maior de suis culpis horror incutiatur atque maior erga SS. Sacramentum insinuetur reverentia. Inde constat S. Doctorem communionem hebdo-

n. 664 sqq. Venetiis, 1727; Billuart, *Summa S. Thomae, de Sacr. Euchar.* diss. VI, a. I, p. V; Benedictus XIV, *de synodo dioecesana* l. VII, c. XII, n. 9, ubi scribit: « Monendi sunt confessarii, ne frequentem ad Eucharistiam accessum iis aut suadeant aut permittant.... qui, etsi gravia evitent crimina, voluntatem tamen habent venialibus inhaerentem » etc.

madariam omnibus, quaecumque sit eorum conditio, permittere, dummodo essentialem conditionem seu statum gratiae habeant.

92. *Communio frequens*, scilicet praeter diem Dominicam, pluries in hebdomada, puta ter vel quater, permitti necnon suaderi potest fidelibus qui peccata venialia deliberata non consueverunt admittere, atque serios adhibent conatus ad exstirpandos pravos affectus cum desiderio proficiendi in virtutibus.

93. *Communio quotidiana* denique concedenda est iis qui, sublato iam affectu etiam ad venialia, et superata maiori parte pravarum suarum inclinationum, magnum communicandi desiderium habent, ipsisque commendat usum orationis mentalis. Quodsi porro postea confessarius dignoscat poenitentem, non obstante frequenti, imo quotidiana communione, in via perfectionis nihil proficere, voluntatemque habere venialibus inhaerentem, imminuere poterit numerum communionum [1]. Doctrina S. Alphonsi apud plerosque theologos communior fuit usque ad decretum Pii X [2].

[1] Cf. *Praxis confessarii*, 148-155; *Homo Apostolicus*, app. I, 28-36; *Vera sponsa* c. 18 § 3; Istruzione al popolo p. II, c. IV, 7. ed. Romae, 1837; Risposta apologetica sulla materia della comunione frequente contro D. Cipriano Aristasio.

[2] Scavini, theol. mor. tr. IX, de Euch. d. IV, c. V, a. 2; Gousset, théol. mor. 3. éd. Paris, 1845, t. II p. 153 sq.; Dalgairns, la Ste Communion, trad. Godard, c. VI seq. 3. éd. Paris 1884, t. I, p. 296 sq.; t. II, p. 5 sq.; Gury, comp. theol. mor. ed. 1894. t. II, n. 150 sqq.; Ballerini-Palmieri, opus morale, t. IV, n. 904 sq.; Müller, th. mor. Viennae, 1895, t. III, p. 234 sq.; Rosset, Instit. soc. theol. de Euch. Sacram. c. VI, a. 5, Chambéry, 1876; Marc, theol. mor. t. II, n. 1579 sq.; Lehmkuhl, theol. mor. t. II, n. 156 sq.; Gasparri, tract. de Eucharistia, n. 1137 sq.; n. 1174; Aertnys, theol. mor. l. VI, n. 94 sq.; Génicot, th. mor. t. II, n. 195; Haine, th. mor. t. III, p. 82, q. 70; Noldin, summa theol. mor. de Euch. n. 163 sq.; Lejeune, Pratique de la Ste Communion. Paris, 1900, 163 sq.; Tanquerey, Synopsis theol. dogmat. de Sacr. Euch. c. II, 148. 5. éd. Paris, 1901,

94. Interim autem, exeunte saeculo XIX, non modo apud laicos, verum et in religiosis familiis frequentia communionis fuit auctior. Huic incremento haud dubie multum profuerunt varia a S. Sede emanata documenta, praecipue decretum « *Quemadmodum* » die 17 dec. 1890, et encyclica Leonis XIII « *Mirae caritatis* » 28 maii 1892; nec sane omittendi hic sunt conventus eucharistici, quorum est meritum Augusti Sacramenti cultum religionemque summopere aluisse ac promovisse.

95. At quidem iam olim exortae de dispositionibus ad frequentem quotidianamque communionem requisitis controversiae, haudquaquam sopitae, maiori, quam par est, acrimonia, iterum animos arrexerunt. Alii enim affirmabant minime sufficere statum gratiae, ut unicuique, non conscio peccati mortalis, communio frequens vel quotidiana commendaretur, sed omnino requiri immunitatem ab affectu actuali venialis peccati, ne videlicet sacramentum, vel in parte, fructuositate frustretur sua. Receptionem siquidem SS. Eucharistiae, cum quis habet plura peccata venialia, praesertim gravia intra venialis gravitatem, et sine ulla poenitentia vel emendationis proposito, accedit ad Eucharistiam, non esse absque peccato veniali irreverentiae contendebant, quia huiusmodi peccata impediunt eorundem remissionem, quae fieret, si quis accederet cum illorum attritione [1]; imo aggravatur ista culpabilitas, si

p. 420 sq.; Lahousse, de Sacram. n. 198 sq.; Berardi, Praxis, t. III, n. 971 sq.; Sabetti, th. mor. n 701; Instructio Pastoralis Eystettens. n. 284; Reuter-Mullendorff, Neoconfessarius, n. 216 sq. ed. 1906. Billot, de Sacram. p. 552 sqq. ed. 4. 1907, etc. etc.

[1] Cf. inter antiquiores: Soto Dom. l. c. q. I, a. 4; Laymann, l. V. tr. IV, c. VI, n. 3; Gonet, de Euch. Sacr. disp. VIII, a. 3, n. 59: Lugo, l. c. d. XIV, n. 22 sq.; Salmantic. Cursus theol. de Euch. Sacr. d. XI, n. 77; Cursus theol. mor. tr. IV, c. VII, n. 20 sq.; S. Alph. Theol. mor. l. VI, n. 270; Praxis confess. n. 149 etc.

frequenter suscipiatur Sacramentum. Verum quidem est hominem taliter dispositum aliquam percipere gratiae habitualis augmentationem, minorem vero ac ille qui recte praeparatus accederet. Quapropter communio frequens, tepiditate crescente neglectaque sincera praeparatione, cedit potius in maximum animae detrimentum, tum quia ex ipsa consuetudine minuitur et fere exstinguitur reverentia Sacramenti; tum quia qualecumque augmentum habitualis gratiae in his adiunctis acceptum haudquaquam compensat nocumentum proveniens homini, qui in sua tepiditate confirmatur et de die in diem sibi praecludit viam ad plene consequendum communionis fructum; tum denique quia peccata venialia quae committuntur in tam irreverenti Eucharistiae receptione per se magnum malum sunt [1]. His sane sufficeret communio hebdomadaria.

96. Verum, dum inopportunius urgebantur dispositiones, timendum erat, ne difficilior redderetur ad sacram Communionem accessus, et rarior SS. Eucharistiae susceptio, ac proinde aucta hoc modo SS. Sacramenti verecundia potius detrimento quam profectui esset. Ut nobis videtur, exaggerabant illi auctores tum verba decreti « *Cum ad aures* », in quo dicitur frequentiorem ad S. Synaxim accessum pendere a gradu devotionis et a praeparatione ac a conscientiae puritate, tum S. Alphonsi doctrinam [2].

[1] Cf. Billot l. c. Pace clarissimi Auctoris, cuius praelectiones merito laudandae sunt, dolemus eum in hac ed. 4. Romae 1907 edita nullam fecisse mentionem decreti Pii X, 20 dec. 1905, nec aliquantulum suam temperasse sententiam.

[2] Inter coeteros cf. Chatel, *la doctrine catholique sur la communion fréquente; réfutation d'une doctrine relâchée*, Bruxelles, 1904; Godts, *Exagérations historiques et théologiques concernant la communion quotidienne*. Bruxelles, 1904; *Réponse au P. Conet*, Bruxelles, 1905; *Réponse au P. Lin*

97. Alii, e contra, opinabantur sufficere statum gratiae tanquam stricte requisitam dispositionem, atque in eo statu animam, etsi non plene ab affectu peccati venialis liberatam, revera fructus percipere Sacramenti. Minus tamen in aliis dispositionibus insistebant, nec eas prorsus revera omittebant; quin fideles hortabantur, ut peccata venialia deliberata conarentur vitare atque sese ab affectu peccati venialis liberare. Ad propugnandam porro suam sententiam, hi auctores primitivam praxim Ecclesiae eiusdemque constantes ad frequentem atque quotidianam communionem exhortationes invocabant. Nec pariter ipsi omittebant commendare obedientiam erga confessarium, quin inde praeceptum sub peccato hac de re imponerent, nec vicissim ius asserebant confessario pro lubitu suo denegandi sacram Communionem [1]. Verum equidem est nonnullos huius sententiae defensores parum in dispositionibus secundariis institisse, adeo ut multis, praesertim patronis contrariae sententiae, qui eos hanc ob causam improbabant, viderentur eas despexisse vel saltem pro minimo reputasse. Pauci tamen hanc laxismi notam meruerunt.

98. Similis vero quaestio, nimirum de communione frequenti in religiosis familiis, tunc etiam agitabatur atque scriptores aliter alii sentiebant. Plures enim asserebant debere confessarium difficilem se praebere in concedenda

telo, Bruxelles, 1905; *l'Apôtre du S. Sacrement, S. Alphonse, Docteur de l'Eglise*, Bruxelles, 1905; Chatel, *Défense de la doctrine catholique sur la communion fréquente*, Bruxelles, 1905 etc. etc.

[1] Cf. Frasinetti, *Abrégé de théol. mor. de S. Alph.* trad. Fourez, 2. ed. Tournai, 1894. t. 1. p. 573 sq.; Mgr. de Sègur, *la très-sainte communion*, Paris, 1874; Card. Gennari, *Sulla comunione frequente e sul decreto « Quemadmodum »*, 2. ed. Napoli, 1900, trad. franc. Bastien, Maredsous, 1904; Lintelo, *Lettres à un prêtre à propos d'une polémique sur la communion fréquente*, 2. ed. Tournai, 1905 etc.

communione praeter dies in propriis regulis statutos, ea scilicet ratione, quod huiusmodi concessiones exceptiones essent ac proinde, quantum fieri possit, limitandae [1]. Alii, e contra, ac forsan melius mentem decreti « *Quemadmodum* » intelligentes atque interpretantes, tenebant uniformitatem in religiosis familiis servandam haudquaquam ad prohibendum frequentiorem SS. Eucharistiae usum sufficientem esse rationem, sed potius respiciendum esse bonum spirituale animae, cui, vi professionis religiosae, incumbit onus maiorem assequendi perfectionem; validissimum autem, praeter ordinaria media quae parat vita religiosa, medium est haud dubie usus frequens et quotidianus SS. Eucharistiae [2].

99. Quaestionibus ita exagitatis non parum confessariorum mentes atque fidelium conscientiae perturbabantur, cum christianae pietatis ac fervoris haud mediocri detrimento. « A viris idcirco praeclarissimis ac animarum Pastoribus SSmo Dño Nostro Pio PP. X enixae preces porrectae sunt, ut suprema sua auctoritate quaestionem de dispositionibus ad Eucharistiam quotidie sumendam dirimere dignaretur; ita ut haec saluberrima ac Deo acceptissima consuetudo non modo minuatur inter fideles, sed potius augeatur et ubique propagetur, hisce diebus potissimum, quibus Religio ac fides catholica undequaque impetitur, ac vera Dei caritas et pietas haud parum desideratur. Sanctitas vero Sua, cum Ipsi maxime cordi sit, ea qua pollet sollicitudine ac studio, ut christianus populus ad sacrum convivium perquam frequenter et etiam quotidie advocetur eiusque fructibus amplissimis potiatur,

[1] Cf. v. gr. Linzer Quartalschrift, 1898, p. 316 sq.; 574 sq.

[2] Cf. Card. Gennari cit.; Amédée Curé, *la communion fréquente au point de vue théorique et pratique*, Paris, 1903; P. Iosephus Antonius de Persiceto cit. etc.

quaestionem praedictam » Sacrae Congregationi Concilii examinandam ac definiendam commisit. Emi porro Cardinales, rationibus hinc inde adductis sedula maturitate perpensis, decretum *de quotidiana SS. Eucharistiae sumptione* ediderunt, quod SS. Dñus N. Pius PP. X suprema Sua auctoritate confirmavit.

100. Ecce historica de frequenti quotidianaque communione, ea qua potuimus brevitate, expositio, e qua illud profecto retinendum est, id fuisse Ecclesiae in votis, ut cuique sacro adessent fideles de divina hac mensa participes, eiusque voluntatem SS. Pontificum hortationibus, Patrum Doctorumque auctoritate exemploque Sanctorum saepe saepius manifestatam fuisse, nec simul defuisse pariter monitum, ut communicaturi, qua possent puritate et innocentia, ad S. Synaxim accederent.

SECTIO SECUNDA

DE FREQUENTI QUOTIDIANAQUE COMMUNIONE AD NORMAM DECRETI " SACRA TRIDENTINA SYNODUS ,..

CAPUT I.

DE DISPOSITIONIBUS IN GENERE.

101. « Circa usum huius Sacramenti — i. e. Eucharistiae, — duo possunt considerari: unum quidem ex parte ipsius Sacramenti, cuius virtus est hominibus salutaris, et ideo utile est quotidie ipsum sumere, ut homo quotidie eius fructum percipiat;..... alio modo potest considerari ex parte sumentis, in quo requiritur, ut cum magna devotione et reverentia ad hoc sacramentum accedat... » [1].

102. Ut vero utrumque, reverentiam scilicet erga tantum Sacramentum et spiritualem fidelium fructum, inter se componerent, viri tum doctrina tum pietate conspicui alii prae aliis maiores ac difficiliores, tamquam necessarias, expostularunt dispositiones, ita quidem ut mensurandam dicerent frequentiam Communionis iuxta gradus dispositionum. Imo nonnulli, raro ac positis compluribus

[1] Thom. III, q. 80, a. 10 in corp.

conditionibus, quotidianam communionem permitti posse censuerunt. Alii vero non minori doctrina ac pietate praediti « *faciliorem aditum praebuerunt huic tam salubri Deoque accepto usui, docentes auctoritate Patrum, nullum Ecclesiae praeceptum esse circa maiores dispositiones ad quotidianam quam ad hebdomadariam aut menstruam communionem; fructus vero uberiores longe fore ex quotidiana quam ex hebdomadaria aut menstrua* ».

103. Et re quidem vera, ut quis dicatur laudabiliter Eucharistiae sacramentum recipere, digne accedat oportet. Dignitas vero haec tripliciter intelligi potest. Primo, *pro quodam naturali valore et condignitate*, ut scholae more loquamur, sumentis hoc Sacramentum, quae aequalitatem inter recipientem et receptum supponit. Et hoc modo nulla creatura, etiam eminentissima, ne ipsa quidem beatissima Virgo, etsi gratia plena atque tot tantisque cumulata donis, digne potuit hoc dignissimum Sacramentum accipere. Quid enim est homo aut alia creatura, ut cum Deo comparari valeat? aut quae proportio finiti ad infinitum? Ipse solus Deus sibimetipsi aequalis est seseque perfecte comprehendit. Hinc unica illa dumtaxat fuit communio vere digna, quam in ultima Coena ipse Dominus Iesus Christus suismet divinis manibus accepit.

104. Deinde potest dignitas accipi *pro quadam virtutum ac donum perfectione*, praecipue vero reverentiae et devotionis, ut scilicet ille dicatur digne accipere, qui cum quadam eminentia virtutum magnaque reverentia et ferventi devotione accipit; alioquin dicatur indigne accipere. At neque haec dignitas ad dignam huius Sacramenti sumptionem requiritur, nec Christus eam a suis discipulis exegit. Saepe enim, cum haec sint dona Dei, in frequentatione huius tanti Sacramenti et donantur et

augentur [1]. Unde si illa dignitas omnino esset necessaria, rarissimi essent qui communicarent vel semel in anno, nedum quotidie.

105. Tertio intelligitur haec dignitas *pro dispositione, quam Deus requirit in homine, ut Eucharistiam sine ipsius offensione accipiat;* et haec nil aliud est, quam vel diligens peccatorum inquisitio, ipsorumque detestatio, ac constans vitae corrigendae propositum, cum vera et integra omnium delictorum confessione. Haec est dignitas quae exigitur, ut digne quis ad sacram dapem accedat. Nam ipse Apostolus [2] nil plus requirit, quam ut homo seipsum probet et sic de pane illo edat et de calice bibat. In hac etiam dispositione includuntur omnia quae Doctores ad dignam Eucharistiae sumptionem postulant [3]. Hic recte concludit Salmeron: « Ex quibus inferimus, neque peccata venialia, neque distractionem mentis, modo insignis illa non existat, nec teporem virtutum, nec imminutionem devotionis, id est, fervoris caritatis, reddere hominem indignum Eucharistiae accessu; quia plerumque hi omnes defectus supplentur in ipsa Eucharistiae perceptione, cum ad illos amovendos sit instituta » [4].

106. Hanc doctrinam confirmavit S. Congr. Concilii suo decreto diei 20 decembri 1905: « ***Communio frequens et quotidiana, utpote a Christo Domino et a Catholica Ecclesia optatissima, omnibus christifidelibus cuiusvis ordinis aut conditionis pateat: ita ut nemo, qui in statu gratiae***

[1] Recte qui nolunt accedere ad hoc mysterium sine talibus donis, comparandi sunt frigidis, qui recusant accedere ad ignem, nisi prius sint calidi.

[2] I Corinth. XI, 28.

[3] Cfr. supra, n. 70.

[4] Salmeron, *Commentaria in evangelicam historiam* l. c. Madridius, op. cit. p. 5 sqq.; Ant. de Molina, op. cit. p. 688 sq.

sit et cum recta piaque mente ad sacram Mensam accedat, prohiberi ab ea possit ».

Nemo non videt, quanti sit momenti haec S. Congregationis declaratio. Duo enim statuuntur principia, quae omne tollunt dubium ac quaslibet controversias solvunt: 1. *nullum fidelem cuiusvis ordinis aut conditionis a frequenti aut quotidiana communione removeri posse, dummodo* 2. *necessarias ac sufficientes habeat dispositiones.*

107. Et quidem quod primum attinet principium, sat difficilis ac multum discussa enodatur quaestio: eo enim severitatis venerant ut a frequenti coelesti mensa integri coetus excluderentur, uti mercatorum aut eorum qui essent matrimonio coniuncti, ea nimirum ratione quod sive eorum negotia sive conditiones status hanc frequentationem non sinerent. Attamen S. Congr. Concilii in epistola ad episcopum Brixiensem diei 24 ianuarii 1587 [1], cuius ipsamet verba refert decretum eiusdem S. C. « *Cum ad aures* », die 12 februarii 1679, declaraverat frequentem ad sacram mensam accessum iudicio confessariorum secreta cordis explorantium relinquendum esse, qui ex conscientiarum puritate et frequentiae fructu et ad pietatem processu laicis negotiatoribus et coniugatis, quod perspicerent eorum saluti profuturum, id illis praescribere deberent, dempta episcopo facultate certos determinandi dies ad communionem huiusmodi personarum.

108. De coniugatis praeterea perfectiora requirebantur. Plures enim Patres et speciatim S. Hieronymus in epist. cit. *ad Pammachium*, Doctores et Catechismus Romanus postulabant, reverentiae erga Sacramentum causa, ut matrimonio iuncti aliquot dies a coniugii usu abstinerent, Davidis scilicet exemplo admoniti, qui, cum panes

[1] Anal. Iuris Pontif. ser. VII, p. 789 seq.: cf. textum in append.

propositionis a sacerdote accepturus esset, purum se et pueros suos ab uxorum consuetudine tres ipsos dies esse professus est [1]. Hanc Catechismi Romani sententiam theologi generatim amplexati sunt [2].

109. Haec vero retulimus potius ad indicandam illam doctrinam a qua recedit S. C. C. decretum, quo nimirum nullus fidelis qualiscumque conditionis, sive negotiator sive coniugatus, a frequenti quotidianave communione arceatur. Et re quidem vera nescimus quonam iure istis fidelibus sacra Communio interdici possit, si dotibus requisitis sint praediti. Quales autem sint huiusmodi dotes indicat S. Congregationis decretum distinguens inter dispositiones necessarias et sufficientes et dispositiones congruas et ad meliorem fructum commendandas.

[1] Catech. rom. *de Eucharistia* n. 52. Ad rem etiam faciunt verba Angelici III. q. 80, a. 7 ad 2: « Dicendum est, quod coitus coniugalis, si sit sine peccato — puta, si fiat causa prolis procreandae vel causa reddendi debitum — non alia ratione impedit sumptionem huius Sacramenti, nisi, sicut dictum est de pollutione nocturna, quae accidit sine peccato, scilicet propter immunditiam corporalem et mentis distractionem: ratione cuius Hieronymus dicit super Mattheum: " Si panes propositionis ab his, qui uxores tetigerant, comedi non poterant, quanto magis ille panis, qui de coelo descendit, non potest ab his qui coniugalibus paulo ante haesere complexibus violari et contingi? Non quod nuptias condemnemus, sed quod eo tempore, quo carnes Agni manducaturi sumus, vacare a carnalibus operibus debeamus ,,. Sed quia hoc secundum congruitatem est intelligendum, Gregorius dicit quod " talis est iudicio suo relinquendus. Si vero non amor procreandae prolis, sed voluptas dominatur in opere, ,, ut ibidem Gregorius subdit, tunc prohiberi debet ne accedat ad hoc Sacramentum ».

[2] Cfr. Lugo *de Sacr. Euchar.* d. XV, sect. I, n. 14; d. XVII, sect. II, n. 21. ed. Lugduni, 1636; Sanchez, *de matrimonio* l. IX, d. XIII ed. Lugduni, 1669, qui plures citat auctores.

CAPUT II.

DE DISPOSITIONIBUS NECESSARIIS ET SUFFICIENTIBUS.

Dispositiones necessariae et sufficientes, quas decretum « *Sacra Tridentina Synodus* » requirit, sunt: 1. *status gratiae;* 2. *recta piaque intentio.* De quibus iam separatim agendum est.

110. I. **Status gratiae.** Quam flagitiosum sit panem angelicum in peccato mortali recipere, excellentissima huius Sacramenti dignitas nobis ostendit. In eo enim sumitur ipse Christus Dominus ac Redemptor, qui cum sit summa sanctitas, nihil aeque odit ac iniquitatem et peccatum; nec immerito a SS. Doctoribus indigna sumptio peccato crucifigentium Christum comparatur [1].

111. Ceterum plura hac de re tum ex veteri tum ex novo Testamento argumenta deducere licet. Etenim in Exodo [2], Aaron eiusque filiis praeceptum fuit, ne accessuri ad altare, ut in eo Domino thymiama offerrent, tabernaculum testimonii ingrederentur, nisi prius manus lavis-

[1] « In sempiternum vae illi homini, qui ad mensam Domini malignus accedit, qui insidiis mente conditis, qui praecordiis aliquo scelere pollutis mysteriorum Christi oblationibus sacrosanctis participare non metuit. Et ille enim in exemplum Iudae Filium hominis tradit, non quidem Iudaeis peccatoribus, sed tamen peccatoribus membris, videlicet, suis, quibus illud inaestimabile et inviolabile dominici corporis ac sanguinis sacramentum temerare praesumit. Ille Deum vendit, qui, eius timore atque amore neglecto, terrena pro illo et caduca, imo etiam criminosa deligere et curare convincitur ». S. Beda hom. 53 inter hom. subdititias P. L. t. 94, 393. coll. S. Cypr. lib. de lapsis, c. VIII, ibid. t. 4,486; Rhaban. Maur. de cleric. instit. l. 1, c. 31. ibid. t. 107, 319 sq. etc.

[2] XXX, 19 sqq.

sent et pedes. Quodsi tanta munditia ad altare thymiamatis accessuris necessaria erat, nos qui in lege gratiae sumus, illotis manibus ad Christi corpus sumendum accedemus? [1].

112. Christus etiam corpus suum discipulis nisi prius lotis eorum pedibus tradere noluit [2]. Qua re profecto declaravit antea pravos animorum affectus esse purgandos, quam ad sacram ipsius corporis sumptionem accedatur. Idque nobis ipsum significare voluisse, colligitur quod cum non vetuisset discipulos suos communes cibos illotis manibus sumere, ad hoc Sacramentum nonnisi lotis pedibus i. e., pravis affectibus purgatis eos accedere passus est [3]. Quos, quia Iudas mundos ad illius sumptionem, facta externa pedum lotione, non habuit, miserrimum sortitus est exitium. Et Paulus [4], quantum periculum eos maneat, qui impura mente Eucharistiae Sacramentum accipere audent, memorat: « *Ideo inter vos*, inquit, *multi infirmi et imbecilles, et dormiunt multi* ».

113. Ex his et aliis testimoniis, quae brevitatis causa praetermittimus, satis constat quam nefarium sit scelus tam dignum Sacramentum indigne sumere. Unde necessarium est, prout S. Paulus monet, ut « probet seipsum homo et sic de pane illo edat » : probet se per veram contritionem et integram suorum peccatorum confessionem; probet se per mutationem exterioris vitae in vitam sanctam ac tanto hospite dignam [5].

[1] Cfr. Levitic. XXI.

[2] Ioh. XIII, 4 sqq.

[3] Matth. XV, 2 sqq.

[4] I Corinth. XI, 28 sqq.

[5] Nec omittendum est illud argumentum ex antiquis Liturgiis desumptum. Fideles enim ante communionem praemonebantur a diacono clamante: « *Sancta sanctis* » ac si diceret: Qui non est sanctus, non accedat. Quae verba minime referuntur ad catechumenos, qui ante

114. Praeterea statum gratiae necessario ante communionem requiri, affirmat et declarat Sacra Tridentina Synodus: « *Si non decet ad sacras functiones quempiam accedere nisi sancte, certe quo magis sanctitas et divinitas coelestis huius sacramenti viro cristiano comperta est, eo diligentius cavere ille debet, ne absque magna reverentia et sanctitate ad id percipiendum accedat, praesertim cum illa plena formidinis verba apud Apostolum legamus: " Qui manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit, non diiudicans corpus Domini „. Quare communicare volenti revocandum est in memoriam eius praeceptum: " Probet autem seipsum homo „. Ecclesiastica autem consuetudo declarat eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque praemissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat. Quod a christianis omnibus, etiam ab iis sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, haec sacra synodus perpetuo servandum esse decrevit, modo non desit illis copia confessoris. Quod si necessitate urgente sacerdos absque praevia confessione celebraverit, quam primum confiteatur* » [1]. Et: « *Si quis dixerit, solam fidem esse sufficien-*

oblationem sacrificii et consecrationem excludebantur, sed potius quasi commentarium sunt illorum *Doctrinae XII Apostolorum*. « Si quis sanctus est, accedat; si quis non est, poenitentiam agat ». C. 10 ed. Funk. *Patres Apostolici* cit. t. I, p. 25.

[1] Sess. XIII de Eucharistia c. 7. Ex his verbis S. Concilii iam patet cur hic non ponatur quaestio: utrum nunquam homini, quamvis contrito, liceat accedere ad communionem, nisi praemissa confessione peccati mortalis. S. Concilium duo requirit quae debent simul concurrere et minime sufficit unum sine altero, scilicet *a*) necessitatem communicandi et *b*) quod desit confessor. Iam vero illa prior conditio vix ac ne vix quidem obtinere potest, quando agitur de communione frequenti et quotidiana. Cfr. Lugo l. c. d. XIV, sect. V, n. 81 sqq. Salmanticenses, Cursus theologicus tr. XII *de Eucharistia* disp. XI, dub. III, n. 21, ed. Palmé, 1882, t. 18, p. 673.

tem praeparationem ad sumendum sanctissimae Eucharistiae Sacramentum: anathema sit. Et, ne tantum Sacramentum indigne atque ideo in mortem et condemnationem sumatur, statuit atque declarat ipsa sancta Synodus, illis, quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habita copia confessoris necessario praemittendam esse confessionem sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, praedicare vel pertinaciter asserere, seu etiam publice disputando defendere praesumpserit, eo ipso excommunicatus existat » [1].

115. Nil sane mirum. Peccatum enim mortale constituit obicem simpliciter ad fructuositatem Eucharistiae, totumque impedit effectum Sacramenti atque gravem sacrilegii inducit reatum. Hoc eo magis verum est quod Eucharistia sit sacramentum vivorum, i. e. supponit hominem spirituali et supernaturali vita donatum seu in statu gratiae existentem atque ex sua natura et institutione vitam supernaturalem conservat et auget. Peccatum vero mortale, cum sit aversio a Deo plena et perfecta constituatque animam Deo inimicam, privat vita supernaturali, quae est gratia sanctificans. Et re quidem vera, cum Eucharistia instituta sit per modum cibi spiritualis, ex ipsamet sua institutione et per se, non ordinatur ad generandum aut vivificandum; id enim cibo non competit; sed ad nutriendum atque ideo in sumente praerequirit vitam spiritualem; alioquin falsa redderetur eius significatio, qua significatur augmentum vitae per nutritionem spiritualem. Unde recte ait S. Ambrosius: « Ubique ergo in hoc

[1] Ibid. can. 11 coll. catech. roman. l. c. n. 51: « .... Definitum est enim a sancta Tridentina Synodo, nemini licere, quem mortalis peccati conscientia stimulet, si sacerdotis facultas data sit antequam se sacramentali confessione purgarit, quantumvis sibi contritus esse videatur, sacram Eucharistiam accipere ».

mysterio iste ordo servatur, ut prius per remissionem peccatorum vulneribus medicina tribuatur, postea alimonia mensae coelestis exuberet » [1].

116. Confirmatur ab Angelico III, q. 80 a. 4.: « Dicendum est quod in hoc sacramento sicut in aliis, id quod est sacramentum, est signum eius quod est res sacramenti. Duplex autem est res huius sacramenti. Una quidem, quae est significata, et contenta, scilicet, ipse Christus: alia autem est significata et non contenta, scilicet corpus Christi mysticum, quod est societas sanctorum. Quicumque ergo hoc Sacramentum sumit, ex hoc ipso significat se esse Christo unitum, et membrum eius incorporatum. Quod quidem fit per fidem formatam, quam nullus habet cum peccato mortali. Et ideo manifestum est, quod quicumque cum peccato mortali hoc Sacramentum sumit, falsitatem in hoc Sacramento committit; et ideo incurrit sacrilegium tanquam Sacramenti violator. Et propter hoc mortaliter peccat ». Haec autem dispositio, status gratiae scilicet, ad quamcumque Eucharistiae susceptionem semper requiritur.

117. At heic ulterius quaeri potest: utrum status gratiae ad communionem quotidianam et frequentem requisitus intelligendus sit de statu habituali, qui omnem prorsus lapsum lethalem excludit vel saltem rarissimum tantum admittit, aut de simplici existentia gratiae sanctificantis tempore communionis. Ratio nimirum dubitandi est, quod frequens aut quotidianus communionis usus maiorem animae perfectionem cordisque puritatem, aut certe fervens arctioris cum Deo per charitatem coniunctionis desiderium exigere videatur. Nostra vero sententia, habitualis status gratiae, etsi magnopere laudabilis, non requi-

[1] L. VI, in Lucam c. 9, n. 71. P. L. t. 15, 1773.

ritur, sufficit ut anima, cum ad sacram Synaxim accedit, gratia sanctificante sit ornata.

118. Haec enim solutio suadetur: a. *Ipsius decreti scopo.* Illuc quidem tendit decretum, ut ad SS. Eucharistiam accessus reddatur expeditior atque saluberrima ac Deo acceptissima haec consuetudo non modo non minuatur inter fideles, sed augeatur potius et propagetur ubique. Sicque nec illi, qui, pravae consuetudini addicti ac non raro in eadem relabentes peccata exsurgere conantur ac sese ope divinae gratiae liberare, excluduntur a tanto beneficio, quod et ipsis remedium animaeque sustentaculum porrigit. Communionem ceteroquin talibus generatim concedendam esse iam pridem affirmabant auctores [1].

119. b. *Verbis decreti.* Generaliter enim, i. e. absque ulla distinctione vel restrictione loquitur decretum, cum ait: *requiri et sufficere statum gratiae.* Unde valet axioma: ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus, vel: generaliter dicta, sunt generaliter interpretanda.

120. c. *Ipsa indole status gratiae.* Auctores, solliciti servare erga tantum Sacramentum reverentiam eamque ad spiritualem fidelium utilitatem accommodare, perfectiores dispositiones ad communionem quotidianam et frequentem exigebant; non satis autem, ut videtur, attenderunt ad dignitatem praestantiamque status gratiae, imo pretium huius tanti doni extenuarunt. At anima in statu gratiae posita templum est Spiritus Sancti, qui non tantum per dona sua, verum et secundum substantiam iustis inhabitat. Unde bene ait S. Cyrillus Alex.: « Consideremus in sanctis quibusdam prophetis velut uberem quam-

[1] Cf. S. Alph. Praxis confess. n. 149. Coubé, *la communion hebdomadaire*, p. 168. Paris 1905. Imo usum frequentis etiamque quotidianae communionis illis esse consulendum ac commendandum existimamus.

dam illustrationem et illuminationem Spiritus Sancti exstitisse, quae ad futurorum perceptionem erudire posset occultorumque notitiam; at vero in iis, qui credunt in Christum, non simplicem illustrationem a S. Spiritu derivatam, sed ipsummet Spiritum habitare et domicilium collocare confitemur; unde merito et templa Dei vocamur, cum nullus Sanctorum prophetarum templum Dei nominatus sit unquam » [1]. Quapropter Sancti Patres atque Doctores inferre non dubitarunt gratia hominem divinae consortem esse naturae, constitui membrum Christi vivum, filium Dei adoptivum haeredemque regni coelestis, induere specialem cum Dei Filio unigenito similitudinem, profundi splendore atque pulchritudine coelesti fierique Deo gratum et iustum.

121. Haec omnia breviter exponit S. Concilium Tridentinum: « Iustificatio non est sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiae et donorum. Unde homo ex iniusto fit iustus, et ex inimico amicus, ut sit haeres secundum spem vitae aeternae..... In ipsa iustificatione cum remissione peccatorum haec omnia simul infusa accipit homo per Iesum Christum, cui inseritur, fidem, spem et caritatem. Nam fides, nisi ad eam spes accedat et caritas, neque unit perfecte cum Christo neque corporis eius vivum membrum efficit » [2].

122. Cum itaque tantae praestantiae sit status animae gratia sanctificante ornatae, ut templum dicatur et sit Spiritus Sancti, cur ipsummet Dei Verbum, conceptum

[1] L. V. in Ioh. 7, 39 P. G. t. 73, 758; coll. Froget O. Pr. *De l'habitation du Saint-Esprit dans les âmes iustes*, Paris, 1900, 2. ed.; Scheeben, *die Herrlichkeiten der Göttl. Gnade, praesertim* l. II et III; *Mysterien des Christenthums* § 87.

[2] Sess. VI *de iustificatione* c. 7, coll. can. 11.

de Spiritu Sancto, frequenter, imo et quotidie, in hac anima, non ita virtutibus ornata, ac forsan multis ditata imperfectionibus, sed gratia sanctificante ad consortium divinum usque elevata, domicilium non eligeret suum, ut intimo illo commercio unioneque in dies arctiore eam perficeret atque oculis suis redderet speciosam? Eadem ad communionem annualem vel menstruam quam ad frequentem quotidianamve plane requiritur dispositio, scilicet status gratiae in actu recipiendi Sacramenti. Haec ne obliviscantur atque semper prae oculis habeant confessores, cum agitur de recidivis illis, quos premunt exagitantque violentissimae tentationes vitiosaeque consuetudines, a quibus ipsi peccatores liberari conantur. Apprime ad rem Leo XIII in encyclica cit. « *Mirae caritatis* »: « Teterrimi huius mali (voluptatis) praeclarum in divina Eucharistia praesto est remedium. Nam omnium primum, augendo caritatem, libidinem coërcet; ait enim Augustinus: nutrimentum eius (caritatis) est imminutio cupiditatis: perfectio, nulla cupiditas. Praeterea castissima Iesu caro carnis nostrae insolentiam comprimit, ut Cyrillus monuit Alexandrinus: Christus enim existens in nobis sopit saevientem in nostris membris carnis legem. Quin etiam fructus Eucharistiae singularis et iucundissimus est quem significavit propheticum illud: Quid bonum eius (Christi) est, et quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum et vinum germinans virgines? » [1].

[1] Non aliter S. Bernardus in serm. *in coena Domini, de baptismo et de Sacramento altaris* n. 3: « Sed quis poterit tam efferos motus frangere? quis pruritum ulceris huius ferre queat? Confidite, quia et in hoc gratia subvenit; et ut securi sitis, sacramenti Dominici Corporis et Sanguinis pretiosi investituram habetis. Duo enim illud sacramentum operatur in nobis; ut videlicet et sensum minuat in minimis et in gravioribus peccatis tollat omnino consensum. Si quis vestrum non tam saepe modo, non tam acerbos sentit iracundiae motus, invidiae, luxuriae, aut

123. Secunda dispositio necessaria atque sufficiens est **recta et pia intentio**. Nemo, iuxta decretum, qui cum recta piaque mente ad S. Mensam accedat, prohiberi ab ea potest. « ***Recta autem mens in eo est, ut qui ad S. Mensam accedit non usui, aut vanitati, aut humanis rationibus indulgeat, sed Deo placito satisfacere velit, ei arctius caritate coniungi, ac divino illo pharmaco suis infirmitatibus ac defectibus occurrere*** ».

Quanti sit momenti puritas intentionis, docent philosophi et theologi, quibus omnes humanae actiones speciem a fine sumunt, ad quem ordinantur, aut ab intentione, qua fiunt: « Et secundum quod finis, ait Angelicus, propter quem operamur, est culpabilis vel laudabilis, secundum hoc sunt opera nostra culpabilia vel laudabilia » [1]. Quod eatenus verum est, ut, cum nihil sanctius sit in Ecclesia, quam frequentatio Sacramentorum, si id fiat sinistra intentione aut fine perverso, malum etiam sit et sacrilegum. Ac in ipsis operibus bonis tanti momenti est ea dirigere et perficere rectae intentionis oculo, ut idem opus bonum, factum fine perfecto et excellenti, v. g. pro Dei amore et ad solam eius gloriam, in tantum superet seipsum, cum fine minus perfecto instituitur (quamvis et ille bonus sit, puta timore inferni, desiderio praemii aut

coeterorum huiusmodi; gratias agat Corpori et Sanguini Domini; quoniam virtus sacramenti operatur in eo ». P. L. 183, 272. coll. S. Ignat. Mart. ep. ad Eph. c. 13 ed. Funk cit. t. I, p. 225. « Date operam, ut crebro congregemini ad gratias Deo agendas et ad eum laudandum. Quando enim crebri in eumdem locum convenitis, labefactantur vires Satanae, et concordia vestrae fidei solvitur exitium, quod ille infert ». Non indulgentiores tamen confessarii nec nimis aspere eos tractent neve animum dimittant, sed patientiam amplectantur, recolentes de huiusmodi vitiis et habitibus nonnisi acriori pugna indefessoque labore reportatum iri triumphum.

[1] 1. 2. q. I, a. 3.

quocumque alio, quod privatam spectet voluntatem), ut comparatio inter haec nulla reperiatur; sicut nec lumen solis cum luce candelae comparari ullo modo potest.

124. Ad praecavendam autem omnem ambiguitatem removendumque minus rectae interpretationis aut exaggeratae conclusionis periculum, quod quidam recentiores scriptores non effugerunt, omnino ducimus necessarium ad memoriam revocare quae moralistae de recta tradunt intentione.

Inter circumstantias quae maxime in moralitatem actuum humanorum influunt, finis haud dubie locum tenet principalem, cum non solis mediis dominetur, verum et ipsi obiecto, quod saepe tamquam medium adhibetur. Plurimum autem refert inter finem et finem distinguere. Etenim si finis graviter malus est, totam actionem vitiari non est ambigendum: quomodo enim esset bona, si intentio mala sit causa volendi? Nec aliter iudicandum est, si finis, etsi leviter malus, est tamen ratio totalis ob quam actus ponitur; tunc totus actus, etiamsi ex obiecto materialiter bonus, est vitiatus, cum agens bonum non intendat nisi sub ratione mali. Si vero finis leviter malus non est totalis ratio ob quam ponitur actus, cuius obiectum sit formaliter bonum, actus iste erit partim bonus, partim autem malus. Et hoc fieri potest sive quando finis malus se ita miscet aliis finibus, ut sit quasi concomitans, vel quando voluntatem iam bonam consequitur, vel quando antecedit quidem actum, sed ita extrinsece, ut potius occasio quam ratio ipsius actus subsequentis sit dicendus. At sedulo attendas, quod maximi in hac materia de frequenti et quotidiana communione interest, circumstantiam illam leviter malam totam eius actus bonitatem non auferre, quia fieri nequit quin bonitas obiecti in se et propter se volita, refundat bonitatem in actum. Alioquin pauci

actus boni etiam in viris sanctis experirentur. Et ita intelligendum censemus celeberrimum illud axioma, crebro usurpatum, nec semper tamen accurate: *Bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu* [1]. Sed haec sufficiant ad sequentium intelligentiam.

125. Ex ipsius decreti verbis rectae piaeque menti obstat: 1. *usus*, i. e. respectus quidam humanus, vel mera illa consuetudo, puta religiosae domus, collegii, parochiae etc., qua quis unice motus sacram frequentat Communionem, quia alii id faciunt. Timendum sane est, ne ista minime commendanda familiaritas paulatim pariat contemptum animamque illis privet fructibus, quos ex ipsa Sacramenti receptione secus anima collegisset.

126. Verum enimvero fatendum est non quamlibet consuetudinem esse despiciendam — *consuetudinem intellige bonam* — ; plures enim a bonis actibus sese abstinerent forsan, ni aliorum exemplis usuque quodam diuturno ad actus virtutis exercendos impellerentur. Ex multiplicatis siquidem actibus generatur habitus seu quaedam animi dispositio, qua ad propensius faciliusque agendum efficitur. Actus porro illi, si procedunt a motivo supernaturali, meritorii sunt; si vero a motivo malo, demeritorii atque poena digni iudicantur. Ita quoque quod attinet frequentationem S. Communionis.

127. Haud enim raro, experientia teste, plures, aliorum exemplo aut propria moti devotione, iam ab adolescentia forte, frequenter quotidieve consueverunt ad S. Synaxim cum devotissima fide accedere, atque in ea perseverarunt consuetudine, plurimum scilicet facientes fructus ex ipsa communione receptos. Quis autem hanc consuetudinem, etsi exemplo inductam alieno, damnet? quis

[1] Cf. S. Thom. 1. 2. q. 19 a. 7. in c. et ad 2.

eam reprobare audeat? Nemo sane, cum alioquin multi essent damnandi atque reprobandi actus, optimi sane valdeque apud Deum meritorii, sola illa ratione quod a consuetudine aliqua procedant; imo contradiceret Apostolo dicenti: « *Et consideremus invicem in provocationem caritatis et bonorum operum* ». Hebr. X, 24. Quis praeterea ignoret, quantum valeat in rebus humanis consuetudo? Sicut enim consuetudo mala culpabilis est, quia saepe in causa est voluntaria; ita quoque iure merito affirmandum est consuetudinem bonam a merito actus a quo derivatur, quamdiu sub eius influxu permanet, meritum mutuari suum. Non est ergo quaevis consuetudo indiscriminatim damnanda atque reprobanda, nec hanc ob causam impediendus ad S. Synaxim accessus: debita enim erga SS. Eucharistiam servatur reverentia, cum per communionem gratiam habitualem et cum Deo unionem velit adauctam, quod certe nobilius reperiri nequit motivum [1].

128. Nec timendum tamen est, ne ex illa familiaritate generetur contemptus. Sane, pro conditione humanae nostrae vitae, nullus adeo sapiens atque perfectus invenitur, quin aliquo defectu, qui per nimiam familiaritatem sese prodit, laboret. Unde fit, ut aliquando ex nimia familiaritate opinio de aliquo atque existimatio minuatur; ad contemptum istum autem nemo sapiens deveniet ob quoscumque defectus, cum, secundum Iohannem, sit nemo absque peccato. Verum, cum Christus Deus ac Redemptor noster infinita sit perfectione et bonitate ineffabilis, quas ob nostrae intelligentiae imbecillitatem nostraeque virtutis angustias capere non possumus, per contemplationem

[1] Ne forsitan sua fragilitate poenitens paulatim decidat, eum moneat confessarius ut frequenter suam renovet intentionem.

et usum huius adorandi Sacramenti, propius ad illarum cognitionem accedimus, et quo frequentius illud accipimus, eo planius Christi bonitatem ac beneficia nobis per ipsum collata perspicimus. Unde tantum abest ut haec familiaritas contemptum pariat — si ex fide et amore eius accedat fidelis — ut etiam per illum infinitum divinae perfectionis ac excellentiae pelagus penetrantes, in ardentissimum illius amorem, devotionem, cultumque rapiamur, ac toti venerabundi intima animi submissione tam immensam Dei ac Christi liberalitatem bonitatemque adorantes prosternamur.

129. Obstat 2. *vanitas:* « *non vanitati indulgeat* ». Nil sane magis dedecet christianum quam superbia vanitasque in recipiendo Redemptore, qui, cum sit ad dexteram Patris sedens, vitam in Eucharistia degit absconditam. Si enim christianus eo ducitur vanitatis et gloriae quodam studio, vgr. quia inde aestimari videtur, aut quia tamquam pius ac devotus reputatur, hoc vitium damnum infert maximum et sufficit ad suffocandam omnem virtutem, quemadmodum modicum fermenti totam massam corrumpit.

130. Obstat denique 3. *finis mere humanus* « *aut rationibus humanis indulgeat* », vgr. ut superiori placeat eiusque gratiam sibi conciliet, aut ne quam obtinet apud alios existimationem perdat. Motivum enim humanum, cum ad creaturam tendat in eaque se sistat, cum supernaturali motivo, gloria scilicet Dei bonoque animae spirituali, nequit conciliari; imo animam ab illa, qua par est, intentionis rectitudine avocat.

131. Intentione principali itaque per has humanas rationes vitiata, communio, etsi sancta commendataque actio sit, nociva potius animae quam erit proficua. Equidem hic non loquimur de intentione graviter, sed venia-

liter dumtaxat culpabili. Quamobrem si quis, his motus rationibus, ad S. Synaxim accesserit, venialiter tantummodo peccabit, nec tamen omnino fructibus privabitur Sacramenti, quod, uti postea dicemus, suum effectum, nisi obex impediat, *ex opere operato* semper producit. Neque reatu gravis sacrilegii arguendus erit, cum finis a communicante intentus nonnisi venialiter sit culpabilis. His revera haudquaquam eiusmodi communiones probare intendimus, quin imo, *intentione principali ita voluntarie vitiata*, nisi resipiscant, dissuadendi ac prohibendi sunt homines isti a communione frequenti et quotidiana.

132. At praeterea, quod cum intentione substantialiter pura aliquando misceatur aliquod humani, vel quoque in piissimis fidelibus, qui frequenter aut quotidie sacram recipiunt communionem, nemo qui neget: omnem enim mentis deordinationem in agendo removere, humana fragilitate considerata, valde est difficile et absque speciali Dei adiutorio impossibile. Finis autem ille secundarius principalem quasi concomitans in substantiam ipsius actus, qui, ut patet, remanet bonus ac meritorius, non influit nec totum eius meritum aufert; quamquam, si *actus sit voluntarius* et *deliberatus*, huiusmodi deordinatio, minuat valorem meriti atque fructibus, quos secus ex sacramenti perceptione collegisset, partim privat fidelem.

Diximus: *si actus ille sit voluntarius, et deliberatus:* quia, hac deficiente deliberatione, nec communicans committit peccatum veniale nec proinde minuitur communionis valor. Propter reverentiam vero erga tantum Sacramentum operam navent confessarii, qui in hoc plurimum possunt, ut mens poenitentis ad illam intentionis rectitudinem dirigatur atque auferat quae minus recta videntur; nec tamen ob hanc secundariam deordinationem fideles a communione arceant, cum in ea medium haud sper-

nendum inveniant intentionem purificandi veramque assequendi christianam perfectionem [1].

133. Itaque, dispositionibus, quae communionis frequentis ac quotidianae meritum impediunt, summarie indicatis, pergit decretum: « ***sed Dei placito satisfacere velit, ei arctius caritate coniungi, ac divino illo pharmaco suis infirmitatibus ac defectibus occurrere*** ».

Inter motiva supernaturalia, quae ad SS. Eucharistiam recipiendam commendantur, non omnes eiusdem sunt momenti: etenim Dei placito satisfacere atque ei arctius caritate coniungi altioris indolis sunt rationes, quippe quae Deum immediate ac directe respiciant, ipsaeque plane attingant finem institutionis SS. Eucharistiae, videlicet communicationem divinae bonitatis, excellentissimam in homines caritatem [2], ipsam Dei gloriam quae in manifestatione attributorum eius creaturis innotescit, nimirum omnipotentiae, misericordiae, sapientiae, immensitatis.

134. Tertium porro motivum in decreto indicatum, nempe virtus, quam ex illo Sacramento consequitur anima, ut tentationibus resistere et a peccatis praeservari atque valeat mundari, etsi minus perfectum, utpote ad Deum indirecte tantum ordinatum, laudabile revera tamen est et dici debet. Per defectuum enim atque vitiorum emendationem lata divino amori paratur via: « Religio munda et immaculata, ait S. Iacobus, apud Deum et Patrem haec est.... immaculatum se custodire ab hoc saeculo » [3]. Imo

[1] Cf. Revue théol. franç. 1906, p. 556; Monitore Eccles., t. XIX, p. 32 sqq.

[2] « Salvator noster discessurus ex hoc mundo ad Patrem, sacramentum hoc instituit, in quo divitias sui erga homines amoris velut diffundit ». Conc. Trid. sess. XIII, cit. c. 2.

[3] 1, 27.

vero, cum voluntas Dei sanctificatio nostra sit, sese a peccatis custodire omnemque, pro humana fragilitate, maculam abstergere divino illo pharmaco, reipsa est illam divinam adimplere voluntatem et eius placito satisfacere, eo vel magis quod Concilium Tridentinum SS. Eucharistiam nominet: « *antidotum, quo liberamur a culpis quotidianis et a peccatis praeservamur* ». Unde huiusmodi motivum, cum sit rectae piaeque mentis signum, sufficiens est ad quotidianam atque frequentem communionem recipiendam.

135. Verum enimvero dubitare quis posset, utrum decretum taxative voluerit indicare intentiones ad communionem quotidianam et frequentem necessarias, an vero quamlibet aliam, *dummodo recta sit et supernaturalis*, etiam admittat? Dubium siquidem versatur circa intentionem gratiae habitualis augmentandae, ut pariter meritum ad gloriam augmentetur. Ut res clarius pateat, sequens adducamus exemplum: christianus quidam propensus est ad peccata venialia, vgr. iracundiae, invidiae, pigritiae etc., at summopere caret a lethalibus; frequenter vero aut quotidie communicat, eo videlicet fine, ut per continuum gratiae sanctificantis augmentum maiorem in aeternitate assecuturus sit beatitudinem ac felicitatem. Potestne huiusmodi intentio cum decreto constare? Procul dubio, cum in summa haec intentio reincidat in intentionem sese Deo arctius coniungendi. Etenim decretum haudquaquam taxative, sed indicative tantum illas expressit intentiones quae principaliores communioresque sunt, neque tamen propterea coeteras excludere voluit, quin e contra. Motivum siquidem supernaturale, cum procedat a Deo tamquam a principio et ad Eum velut ad finem ultimum tendat, sive explicite sive implicite augmentum divini amoris ac proinde unionem cum Deo in hac alterave vita prosequitur, et

hoc praecise intenditur in allato exemplo. Gratia enim sanctificans illa est quae immediate et formaliter gratos nos Deo reddit. Nullo igitur modo necesse est, ut motivum, quo quis motus ad communionem accedit, directe ad Eucharistiam referatur, prouti constat ex textu S. Bonaventurae in nota relato, sed sufficit ut intentio dirigatur ad quemlibet finem supernaturalem [1].

[1] Placeat hic referre quae S. Bonaventura tradit de motivis, affectibus et desideriis quibus trahi debet sacerdos ad sacra mysteria. Haec enim etiam adduci possunt tanquam motiva ad SS. Eucharistiam frequentandam: « Tu autem, homo Dei, dirige vota tua et desideria ad Deum et vide, quibus affectionibus et desideriis trahi debeas ad sacra mysteria celebranda — vel suscipienda — : Primo trahat te *conscientia et remorsus delictorum*, sperans per eum, quasi per hostiam placationis, ab omni peccato purgari. Secundo, *tuae infirmitatis intuitus* et consideratio, ut eum quasi medicum ad te voces, per quem ab omni infirmitate cureris. Tertio, *pressura alicuius tribulationis*, ut per eum qui omnia potest, ab omni adversitate citius libereris et protegaris. Quarto, *desiderium alicuius gratiae* vel spiritualis beneficii impetrandi, ut per eum cui Pater nihil negare potest, obtineas. Quinto, *gratiarum actio* pro omnibus beneficiis temporalibus et spiritualibus tibi aliisque impensis, cum nihil habeamus Deo *retribuere pro omnibus quae retribuit nobis*, aliud quam *calicem salutaris accipere et sacrificare hostiam laudis* (ps. 115, 3 sq.), id est, Iesum Christum. Sexto, *caritas et compassio proximorum*, cum pro salute vivorum et requie defunctorum nihil efficacius interpellet, quam Christi sanguis effusus in remissionem peccatorum. Septimo, *laus Dei et Sanctorum*, cum non habeamus, quo possimus Deum et Sanctos pro sua dignitate laudare, quam Christum sacramentaliter Deo Patri offerre et immolare. Octavo, *Dei amor et dilectio*, ut eum invites ad te ac per inviscerationem spiritualis refectionis in te ipso eum delectabiliter amplexeris. Nono, *sitis et desiderium augendae gratiae*, quia hoc sacramentum fontem continet salutis, Dominum Iesum Christum; ideo dicitur *Eucharistia*, id est, bona gratia. Caetera vero Sacramenta fluenta sunt et rivuli gratiarum, quibus sanctificamur. Decimo, *ardor et suspirium*, quo totis visceribus, virtute huius excessivae caritatis et dulcissimae refectionis cupias sanctificari ab omni inquinamento carnis et spiritus, et eripi ab omnibus periculis et tentationibus ac inseparabiliter uniri Christo Salvatori et conservari in suo amore ». Op. omn. t. VIII, p. 104 tr. *de preparatione ad missam* c. I, § 4, n. 15 ed. cit.

CAPUT III.

DE DISPOSITIONIBUS CONGRUIS ATQUE COMMENDANDIS.

136. Quamvis Ecclesia existimet statum gratiae et piam rectamque intentionem sufficere ad frequentem quotidianamve communionem, tantum vero abest ut coeterae dispositiones, quae etiam maxime conferunt uberiori gratiae copiosioribusque fructibus recipiendis prorsus negligat, ut eas quoque commendet: « ***Etsi quam maxime expediat ut frequenti et quotidiana communione utentes venialibus peccatis, saltem plene deliberatis, eorumque affectu sint expertes, sufficit nihilominus ut culpis mortalibus vacent, cum proposito se numquam in posterum peccaturos*** ».

137. Haec decreti verba, traditioni Patrum Doctorumque, prouti vidimus, plane consona, confirmant ea quae superiori capite fuerunt exposita, videlicet statum gratiae rectamque intentionem ad SS. Eucharistiam digne suscipiendam dumtaxat esse necessaria; aliae vero dispositiones, quae ad melius esse revera valent, commendantur, minime autem praecipiuntur. Quod quidem ipsemet Suarez docet: « Christus solum dixit: *qui manducat me, vivet propter me.* Paulus autem explicuit hoc esse intelligendum de manducante digne: declarat autem eum digne communicare qui prius probat seipsum et sic de pane illo edit. Addidit vero Concilium Tridentinum, ex doctrina Patrum, illam probationem in hoc consistere: *Ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur absque praemissa sacramentali confessione ad Sacram Eucharistiam accedere debeat;* in quibus omnibus nulla est mentio actualis dispositionis, cum tamen

illa probatio sui ad dignam manducationem sufficiat, per quam vita comparatur. Neque aliud institutionis genus ab aliquo Concilio aut Pontifice aut ab aliquo sanctorum Patrum traditur; nam licet omnes hortentur ad accedendum cum magna reverentia et devotione, nullus tamen docuit actualem dispositionem necessario debere simul concurrere cum ipsa sumptione, ut illa digne et fructuose fiat » [1]. Attamen neque omnino hanc ob causam illae dispositiones praetermittendae aut negligendae sunt; immo vero qui frequenti aut quotidiana communione altiorem vitae christianae perfectionem arctioremque cum Deo unionem anhelant, eas plurimi faciant oportet.

138. Et re quidem vera *praeter obicem simpliciter*, i. e. peccatum mortale, datur non tantum in SS. Eucharistia, verum et in omni Sacramento *obex secundum quid*, quo partialiter impeditur fructus Sacramenti. Peccato enim veniali neque vitiatur status gratiae in sua substantia, cum caritati non repugnet, nec inde privet amicitia divina neque gratia sanctificante [2].

[1] De Euch. in III p., q. 79, a. 8, disp. 63, sect. 3, n. 9, ed. cit. t. 21 p. 405.

[2] « Similiter etiam nec per peccatum veniale caritas diminui potest, neque effective, neque meritorie. Effective quidem non, quia ad ipsam caritatem non attingit; caritas enim est circa finem ultimum; veniale autem peccatum est quaedam inordinatio circa ea quae sunt ad finem; non autem diminuitur amor finis ex hoc quod aliquis inordinationem aliquam committit circa ea quae sunt ad finem; sicut aliquando contingit quod aliqui infirmi multum amantes sanitatem, inordinate tamen se habent circa diaetae observationem; sicut etiam in speculativis scientiis falsae opiniones circa ea quae deducuntur ex principiis, non diminuunt certitudinem principiorum. Similiter etiam veniale peccatum non meretur diminutionem caritatis; cum enim aliquis delinquit in minori, non meretur detrimentum pati in maiori. Deus enim non plus se avertit ab homine quam homo avertat se ab ipso. Unde qui inordinate se habet circa ea quae sunt ad finem, non meretur detrimentum pati in caritate, per quam ordinatur ad ultimum finem. Unde consequens est quod caritas nullo

139. At propter caritatis diminutionem, quam secum ferunt peccata venialia, necnon cessationem ab exercitio operum caritatis, iam patet animam venialibus pati detrimentum privarique in sacramenti susceptione illo fructus alias debiti augmento. Quippe peccata venialia, etsi non impediant omnino fructum sacramenti, ex parte tamen eum remorantur: obstant enim quominus potiatur anima spirituali refectione, solatio Spiritus Sancti, dulcedine et suavitate quadam, qua solent affici, qui mundo sunt corde et recte disposito.

140. Haec porro quae de peccâto veniali dicimus, intelligi debent de veniali deliberato; deficientibus etenim deliberatione et advertentia, nullum committitur peccatum. Praeterea amplectimur heic sententiam S. Thomae, qui, inquirens utrum peccatum veniale impediat effectum huius Sacramenti, respondet peccata venialia praeterita effectum sacramenti minime impedire, actu tamen exercita posse ex parte effectum illum impedire [1]. Et re quidem

modo diminui potest, directe loquendo; potest tamen indirecte dici diminutio caritatis dispositio ad corruptionem ipsius; quae fit vel per peccata venialia, vel per cessationem ab exercitio operum caritatis ». 2. 2. q. 24, a. 10 in c. coll. 1. 2. q. 72 a. 5; III, q. 79 a. 4 ad 1. et q. 87 a. 1.

[1] « Respondeo dicendum quod peccata venialia dupliciter accipi possunt: uno modo prout sunt praeterita; alio modo prout sunt actu exercita. Primo quidem modo peccata venialia nullo modo impediunt effectum huius sacramenti. Potest enim contingere quod aliquis post multa peccata venialia commissa devote accedat ad hoc sacramentum, et plenarie huius sacramenti consequatur effectum. Secundo autem modo peccata venialia non ex toto impediunt huius sacramenti effectum, sed ex parte. Dictum est enim (art. 1 et 2 hui. qu.), quod effectus huius sacramenti non solum est adeptio habitualis gratiae vel caritatis, sed etiam quaedam actualis refectio spiritualis dulcedinis, quae quidem impeditur, si aliquis accedat ad hoc sacramentum per peccata venialia, mente distractus; non autem tollitur augmentum habitualis gratiae vel caritatis ». III. q. 79 a, 8; contrariam sententiam docuerat S. Doctor in IV sent. d. 12, q. II a. 10.

vera, peccata praeterita, seu ut alii dicunt habitualia, non impediunt fructum; nam in eo qui accedit cum voluntate et desiderio suscipiendi Eucharistiam et effectum eius, haec voluntas est virtualis quaedam venialium detestatio, quae, licet, ex se insufficiens sit ad venialium remissionem, medio Sacramento suscepto tamen sufficit [1].

141. Suadetur praeterea *immunitas ab affectu ad venialia.* Sedulo hic notandum est sufficere absentiam voluntariae adhaerentiae ad id in quo est peccatum veniale actu perseverantis, neque requiri ut excludatur illa quae in quovis homine reperitur naturalis ad peccata venialia propensio. Consequens est doctrinae supra expositae. Actualis enim affectus ad venialia directe contrariatur fervori caritatis a SS. Eucharistia excitando [2], proindeque impedit illam divinae refectionis dulcedinem, quae quidem procedit ex fervore caritatis. Sicut ex manducatione cibi materialis eiusque cum corpore coniunctione producitur delectatio quaedam corporalis; ita etiam per praesentiam Christi in ipsa communione, atque ex unione amati ad amantem, per fervorem scilicet caritatis, enascitur dulcedo spiritalis, quae impeditur per actus contrarios, nempe per affectus inordinatos *actualiter existentes,* quando quis ad sacram communionem accedit [3]. Unde, ut quis affectu peccati venialis sit expers, sufficit, quod voluntas non adhaereat actualiter illi peccato, etsi eius reatus, quatenus affectus voluntarius olim habitus, sed nondum efficaciter retractatus, manserit imputabilis in ratione peccati venialis habitualis.

142. Iterum porro atque iterum dicendum est dispo-

[1] Cfr. ea quae dicuntur a Thaulero supra n. 65 et a Madridio n. 69.

[2] Cf. S. Bonavent. in IV sent. d. 12, p. II, a. I, q. III, conclus., ad 4. ed. cit. t. IV. p. 293.

[3] Cf. Albert. Magn. in IV sent. d. 13, H. a. 35., ed. cit. t. 29, p. 395.

sitiones illas, perfectiores sane atque valde commendandas, a decreto suaderi tanquam expedientes, minime vero imponi, sufficereque, ut iam diximus, ut fideles a culpis mortalibus vacent. Coeterum ipsemet Dominus, cum ineffabile illud instituerit sacramentum, non alium intendit finem quam missionis his in terris incoeptae prosecutionem. Ipse enim dixerat: « *Non est opus valentibus medico, sed male habentibus* » [1]. Male autem habentes illi sunt qui occasioni peccandi exponuntur, qui fragilitate sua ad malum inclinantur vel faciliter peccatum veniale committunt. At, inquam, quid salubrius, quid utilius quam ipsamet frequens ac quotidiana communio, quae animae vigorem et virtutem ad removenda omnia obstacula, quibus impediuntur aut retardantur perfectio sanctitatisque assecutio, praebet?

143. Nec alia docet decretum cum ait: « ***quo sincero animi proposito - scilicet nunquam in posterum peccandi - fieri non potest, quin quotidie communicantes a peccatis venialibus, ab eorumque affectu sensim se expediant*** ». Idcirco a S. Concilio Tridentino Eucharistia vocatur: « antidotum quo liberemur a culpis quotidianis et a peccatis mortalibus praeservemur » [2]. Quidquid enim cupiditatis ardore amisit, dum levi aliqua in re parum offendit, totum id Eucharistia, eas ipsas minores culpas abstergens, restituit [3].

[1] S. Matth. IX, 12.

[2] Sess. XIII de Euch. c. 2. coll. Catech. rom. l.c. n. 45. Eugen. IV, Instructio pro Armenis etc.

[3] Audiatur Angelicus: « Respondeo dicendum quod in hoc sacramento duo possunt considerari, scilicet *ipsum sacramentum, et res sacramenti.* Et ex utroque apparet quod hoc sacramentum habet virtutem ad remissionem venialium peccatorum. Nam hoc *sacramentum* sumitur sub specie cibi nutrientis. Nutrimentum autem cibi est necessarium corpori ad restaurandum id quod quotidie deperditur per actionem caloris naturalis. Spiritualiter autem quotidie aliquid in nobis deperditur

Non tantum vero remittit venialia, sed simul atque confert robur ad praeservandum a futuris et ad confirmandum hominem contra omnes tentationes, diminuitque fomitem, augendo scilicet caritatem qua homo intimius se copulat Deo atque a terrenis affectibus facilius se expedit [1].

Quanti igitur aestimandum esse illud divinae caritatis

ex calore concupiscentiae per peccata venialia, quae diminuunt fervorem caritatis, ut in secunda parte habitum est (2. 2. q. 24, a. 10). Et ideo competit huic sacramento ut remittat peccata venialia. Unde et Ambrosius dicit (de sacramentis, l. 5, c. 4 implic.), quod " iste panis quotidianus sumitur in remedium quotidianae infirmitatis „. *Res* autem huius sacramenti est caritas, non solum quantum ad habitum, sed etiam quantum ad actum, qui exercitatur in hoc sacramento, per quem peccata venialia solvuntur. Unde manifestum est quod virtute huius sacramenti remittuntur peccata venialia ». l. c. q. 79, a. 4. S. Bonavent. l. c. q. II, concl., q. III concl.

[1] « Respondeo dicendum quod peccatum est quaedam spiritualis mors animae. Unde hoc modo praeservatur aliquis a peccato futuro, quo praeservatur corpus a morte futura, quod quidem fit dupliciter: uno modo in quantum natura hominis interius roboratur contra interiora corruptiva, et sic praeservatur a morte per cibum et medicinam; alio modo per hoc quod munitur contra exteriores impugnationes, et sic praeservatur per arma quibus munitur corpus. Utroque autem modo hoc sacramentum praeservat a peccato: nam primo quidem per hoc quod Christo coniungit per gratiam, roborat spiritualem vitam hominis, tanquam spiritualis cibus et spiritualis medicina, secundum illud (Ps. 103, 5): *Panis cor hominis confirmat.* Et Augustinus dicit (super Ioh. tract. 26 a. med.): " Securus accede; panis est, non venenum „. Alio modo in quantum est quoddam signum passionis Christi, per quam victi sunt daemones, repellit omnem daemonum impugnationem. Unde Chrysostomus dicit (sup. Ioh. hom. 45, a. med.): " Ut leones flammam spirantes, sic ab illa mensa discedimus terribiles effecti diabolo „ ». l. c. a. 6 in c. et ad 3. coll. S. Ambros. serm. 8 in ps. 118, P. L. t. 15, 1383 sqq., S. Cyprian. ep. Synod. de lapsis P. L. t. 3, 883. Etsi S. Thomas potius videatur loqui de praeservatione a mortalibus, eaedem prorsus rationes adduci possunt de praeservatione a venialibus cf. S. Bonav. l. c. q. III. Quod autem modum attinet quo Eucharistia delet venialia, nostrum non est hic exponere. Cf. III. q. 77 a. 5. etc.

donum in quo tanta bonorum coelestium copia et affluentia includitur, nemo non videt; quapropter sacerdotes ac maxime confessarii ne occasionem dimittant ullam enixe fideles exhortandi, ut tali dono magis ac magis innocentia vitae animique puritate dignos se reddant. Quo enim eximiores dispositiones, eo uberiores erunt fructus.

CAPUT IV.

DE PRAEPARATIONE ET GRATIARUM ACTIONE.

144. Sed iam docendum est, qua ratione, praeter superius dicta, praeparatos fidelium animos esse oporteat, antequam ad sacram mensam accedant. Pergit igitur decretum: « ***Cum vero Sacramenta Novae Legis, etsi effectum suum ex opere operato sortiantur, maiorem tamen producant effectum quo maiores dispositiones in iis suscipiendis adhibeantur, idcirco curandum est ut sedula ad sacram Communionem praeparatio antecedat, et congrua gratiarum actio inde sequatur, iuxta uniuscuiusque vires, conditiones et officia*** ».

145. Sacramenta Novae Legis, praeter gratiam quae *ex opere operato* producitur, gratiam quoque *ex opere operantis*, ut scholasticorum more loquamur, conferunt [1]. Quo vocabulo, Doctores peculiari quodam favore Deum prosequi eos, qui ad sacramentum rite accedunt et singulari privilegio ipsum sacramentorum usum ornare significant. Nec coeterum Christus Dominus in alium finem

[1] Conc. Trid. sess. VII de Sacramentis, can. 8. S. Thomas in IV sent. d. I, q. 1, a. 5 : 1« Est autem opus operans, seu melius operantis, ipsa actio e potentia hominis agentis egrediens.... ».

fructus disposuit sacramentales, quam ut fidelibus prosint, ac proinde merito censetur velle ut se praeparent atque ita integrum ipsis praeparatum fructum percipere valeant. Id autem si in omnibus Novae Legis sacramentis verum est, profecto in Eucharistia quae dignissimum est sacramentum longe verius esse comperietur.

146. Suprema enim illa Maiestas postulat, et iure quidem merito, cum ibi tam excellentia nobis communicentur bona, ut nosmetipsos etiam curemus rite disponere ad illum, qui se nobis tam amice tamque familiariter tradit, digne recipiendum. Quod bene consideratum in optima ratione fundatur vel inter mortales: rebus scilicet magnis et excellentibus diversa debetur observatio et distincta reverentia ab ea quae communibus et ordinariis exhibetur. Hoc Sacra Tridentina Synodus mire demonstrat, dicens: « Si non decet ad sacras ullas functiones quempiam accedere, nisi sancte; certe, quo magis sanctitas et divinitas coelestis huius sacramenti viro christiano comperta est, eo diligentius cavere ille debet, ne absque magna reverentia et sanctitate ad id percipiendum accedat.... » [1].

147. Enimvero minime diffidendum est Deum esse qui unus potest digne mentes disponere ut cum fructu SS. Sacramentum fideles percipiant. Quanto enim, ut aiunt philosophi, forma aliqua est nobilior et praestantior, tanto excellentiores dispositiones debent praecedere, adeo ut ultima perfectaque dispositio ad formam necessario ab ipsa forma dimanet (solus ignis disponere potest subiectum ut in id forma ignis recipiatur). Attamen numquid iustum videtur ut Deus excipiatur anima humana eamque ipse, et quidem solus, rite praeparet et disponat? Etsi

[1] Sess. XIII de Euchar. c. 7. coll. Catech. rom. l. c. n. 50.

nimirum sine gratia Dei et favore singulari homo nil facere potest, quod acceptum illi sit aut meritum includat [1], nihilominus eum invitat totiesque hortatur ad virtutem capessendam [2]. Licet porro ipse Deus quodcumque voluerit, valeat efficere, tamen res singulas pro naturae conditione agit; unde, cum homo libero praeditus sit arbitrio, optat Deus ut fructus ab homine, quantum in illo fuerit, proferantur. Hanc ob causam, quamvis ille solus possit in homine operari dispositionem necessariam et convenientem pro sacramenti receptione, vult tamen ut omnem diligentiam adhibeat homo invitatque ut se ad tale ac tantum donum praeparet.

148. Proinde, priusquam sacram alimoniam accipiat, homo dimisse agnoscat impotentiam suam suppliciterque ac constanter flagitet a Domino cum ferventissimis desideriis, ut mentem suam, qualiter omnino convenit, sic disponat. Imo se indignum confiteatur, qui accedat ad Dominum tantae Maiestatis, cum sit vilissimus vermis terrae, pulvis et cinis. Quare illud Centurionis, de quo ipsemet Salvator testatus est se non invenisse tantam fidem in Israel, ex animo repetat: « Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum » [3]. Nec praetermittat puritatem fidei. Inter omnia enim religionis christianae mysteria, illud quod praecipue requirit, ratione videlicet exterioris cultus, exercitium fidei, SS. Sacramentum Altaris est: ibi totaliter claudendi sunt oculi rationis humanae cunctorumque sensuum externorum, ac fidei aperiendi sunt aures verbis Christi et declarationibus Ecclesiae. Unde in hymno concinitur: « *Praestet fides supplementum*

[1] Ioh. XV, 5; II Corinth. III, 5.
[2] Is. XIII, 18; Zach. I, 3; Iacob. IV, 8 etc.
[3] Matth. VIII, 8.

sensuum defectui » [1], et quo frequentius ad sacram mensam accedit, eo magis accrescat fides oportet, per considerationem Illius, qui est Deus sedens ad dexteram Patris, omnium Creator, Dominus dominantium, Rex aeternus et infinitus. Exquirat insuper an illud Petri usurpare ei liceat: « Domine tu scis, quia amo te » [2]. Meminerit, eum qui sine veste nuptiali, quam Patres caritatem dicunt, Domini convivio accubuerat, in tenebrosum carcerem coniectum, sempiternis poenis addictum fuisse [3]. Et quomodo intimo usque ardentissimoque pii animi amore non prosequeretur sacrosanctam Eucharistiam, coelestem illum in tabernaculo habitantem Emmanuelem, qui se homini tanquam dulcissimum praebet socium, convivium ac solatium, animam divina virtute pascens, corroborans, deliciis sacris semperque novis oblectans, vere panis fortium, vinculum caritatis et gloriae futurae pignus?

149. Pariter congrua gratiarum actio sequatur oportet: etenim, sicut cum homines a rege aut potente visitantur, eum detinent ne subito discedat ab eis, salutant, gratulantur, offerunt, rogant, petunt, gaudentes se posse ore ad os cum principe loqui, dilectionem ostendere, venerationem exhibere, necessitates aperire et illi quidem, ut mortalem principem honorent et corruptibilem mercedem accipiant; ita etiam se gerant fideles, eo magis quod non quidem terrenum in se recipiant regem, sed ipsummet Verbum aeternum, carnem pro hominibus factum, fontem et originem omnis gratiae, qui in corda descendit ibique mansionem facit suam. Ecquis te felicior, o chri-

[1] Hymn. *Pange lingua* ex offic. Corporis Christi; et: « Visus, tactus, gustus in te fallitur, sed auditu solo tuto creditur ». *Rythmus S. Thomae « Adoro te »*.

[2] Ioh. XXI, 15.

[3] Matth. XXII, 11 sqq.

stiane, quippe quem Deus evocaverit, ut pretioso et admirando, salutifero et omni suavitate repleto accumbas convivio, mensam illam frequentes regiam, vitaque illa divina replearis abunde? Igitur cum reliqueris altare, redi ad Salvatorem et Deum tuum, ut Eum audias qui verba vitae aeternae habet; ut gustes et videas quoniam suavis est Dominus; ut cor tuum fiat in te ardens, dum loquatur tibi; cum tota tua devotione adora Eum in te praesentem; cum Angelis et Archangelis hymnos gratitudinis canta, neque discedas ab Eo, donec benedictionem merueris obtinere coelestem.

150. Haec vero praeparatio atque gratiarum actio, quas decretum congrue vultque serio fieri « *iuxta uniuscuiusque vires, conditionem et officia* ». Quis unquam enim excogitavit iuvenem et senem, aegrotum et sanum, laicum et sacerdotem, domesticis curis occupatum eisque vacuum pari esse conditione? Immo accidere potest ut quis suis impeditus negotiis officiove, sed revera dispositus, praeparationem actionemve gratiarum in ecclesia coarctare aliquando cogatur; nec tamen propterea se privet tanto beneficio: sufficiet ipsi ut, brevi peracta gratiarum actione, deliberatum animum habeat reliquo die magis cum Christo manendi copulatum, atque quidquid fecerit, in gratiarum actionem offerendi [1]. Norma autem hac in re retinenda videtur, ut, nisi extraordinarium obstet impedimentum, gratiarum actio, saltem ad quadrantem horae protrahatur.

[1] His tamen minime probare intendimus morem istum nonnullorum, qui, *etsi omni cura officioque immunes*, ultra mediam missam advenientes iam post sacerdotis communionem ad sacram mensam accedunt, non sane absque coeterorum admiratione. Serio eos admoneant confessarii, imo, si opus fuerit, eos reprehendant ac ad maiorem excitent diligentiam; nec tamen eos, si rite sint dispositi, a communione frequenti vel quotidiana removeant.

Quod praeparationem porro attinet, suademus ut, communicaturi, si fieri possit, missae sacrificio assistant et, prout mens est Ecclesiae atque traditio fert liturgica, post sacerdotis communionem et ipsi communicent.

151. De meditationis porro exercitio peragendo quam complures uti necessariam pro iis requirebant, qui quotidie sácrae mensae assidere vellent, nostram sententiam fas sit exponere. Certe quorum *vires, condicio et officia* ita ferunt, ad hunc pium ac salutarem usum diligenter hortandi sunt; praecipue vero omnibus commendetur illa interna oratio, seu spiritus orationis animique collecti tam salutaris usus. Huiusmodi enim exercitium cuicumque, qualis sit eius conditio, pervium est multumque proficuum, quia, servata ante mentis oculos divinitatis praesentia, facilius a terrenis cupiditatibus atque negotiis animus abstrahitur erigiturque ad coelestia. Methodica vero illa quae vocatur meditatio, prout in quibusdam asceticis libris describitur, quantumvis bona, nequit tanquam conditio necessaria requiri, cum non paucis, rudioribus praecipue atque iuvenibus, admodum difficilis evaderet.

CAPUT V.

DE MUNERE CONFESSARII, PAROCHI ET PRAEDICATORIS.

152. Ne autem in re tanti momenti, christianus, diabolicis forsan deceptus illusionibus, proprio marte ad sacram communionem frequenter quotidieve accedat, sapienter monet decretum: « ***Ut frequens et quotidiana Communio maiori prudentia fiat uberiorique merito augeatur, oportet ut Confessarii consilium intercedat. Caveant tamen***

Confessarii ne a frequenti seu quotidiana Communione quemquam avertant, qui in statu gratiae reperiatur et recta mente accedat ».

Haec sane verba, quam firmaverat decretum: « *Cum ad aures* » disciplinam quamque communiter scriptores propugnaverant, scilicet communionis frequentiam iudicio confessarii esse relinquendam, non leviter mutant: 1. *consilium nimirum dumtaxat intercedere debet confessarii*, 2. *rite dispositis confessarius nequit prohibere frequentem aut quotidianam communionem* [1]. Ideo apprime ac diligenter huius regulae verba sunt ponderanda.

153. Et quidem recte vox « *consilium* » usurpatur: quia confessarius, qua talis, praeter poenitentiam nihil stricte praecipere potest; si vero medici aut patris munere fungendo, monuerit poenitentem, ipsius monita non obligant ultra consilii limites, nisi agatur de praescriptionibus iuris naturalis, divini vel ecclesiastici urgendis. Praeterea, cum frequens et quotidiana communio omnibus rite dispositis offeratur et quidem ab Ecclesia, non est cur confessarii requiratur licentia [2]. Quodsi porro decretum aliquam necessitatem petendi consilium « *oportet* » indicet, haec vox, contra atque plures autumarunt, neque veram neces-

[1] Ad haec non satis forte attenderunt nonnulli scriptores in suis dissertationibus post editum decretum « *Sacra Tridentina Synodus* » vulgatis. Cum enim vellent per declarationes anteriores Sedis Apostolicae praesens decretum, quo solvitur controversia de dispositionibus ad communionem frequenter aut quotidie sumendam, explicare, huius decreti sensum ita restrinxerunt, ut vix differentia videatur aliqua inter ius novum et antiquum.

[2] Nec vox « *consilii* » tanquam aliquid novi habeatur: Concilium enim Lateranense IV eamdem usurpavit, dicendo: « .... *ni forte de proprii sacerdotis consilio....* » cf. supra n. 54; quae a theologis viris ordinarie de confessarii consilio intelligebantur. Ita vgr. Lugo l. c. d. XVI, n. 64; Salmantic. Cursus theol. mor. tr. IV, c. VIII, n. 18 etc. coll. S. Franc. Salesio supra n. 79.

sitatem significat neque obligationem strictam imponit petendi consilium, sed declarat potius quid requirat prudentia, ne quis, diabolica illusus astutia aut ductus humanis rationibus, ad sacram mensam accedat. Prudentiae etenim lex est ut in re alicuius momenti sapientiorum requiratur consilium: « *Sine consilio nihil facias et post factum non poenitebis* » (Eccl. 32, 24); unde contra hanc prudentiae legem peccabit christianus, qui de communione peragenda interrogare confessarium eiusque salutare consilium temere sperneret. At omnino negamus poenitentem ad hoc teneri vi obedientiae confessario debitae. Coeterum monitis suasionibusque confessarii obsecundans, poenitens ex hac docilitate meritum sibi acquiret humilitatis, qua proprium alteri subiicit iudicium.

154. At caveat confessarius, ne quempiam rite dispositum a frequenti quotidianaque communione avertat; dum enim ipsi munus confessarii ab Ecclesia committitur, ipsi quoque imponitur onus officium illud exercendi iuxta Domini et Ecclesiae doctrinam ac voluntatem. Iam vero Christi Ecclesiaeque voluntas est, ut omnibus rite dispositis i. e. qui sunt in statu gratiae et cum recta piaque intentione accedunt, communio frequens et quotidiana pateat. Unde confessarii munus in hoc sancto negotio est fidelibus non tam communionem concedere, quam iisdem in hoc pio exercitio bene exequendo consilium dare pro viribusque invigilare, ne quis sine recta piaque intentione ad sacram mensam accedat, et, *ubi conditiones requisitae adsunt, confessario haudquaquam licet communionem frequentem aut quotidianam cuiquam denegare.* Quomodocumque autem consideretur munus confessarii, idem videtur esse concludendum. Et revera confessarius, qua iudex, aliam non habet potestatem nisi applicandi leges in casibus particularibus; iudiciaria enim potestas ius est

auctoritativo modo et cum effectu applicandi legem ad actiones sociales subditorum. Hinc confessarius iudicis officium exercet, quando de frequentiori aut quotidiana communione a poenitente interrogatus, iudicat eum recte dispositum vel non; attamen in hoc ferendo iudicio iustitiam servare debet, i. e. legem ab Ecclesia statutam secundum sensum ab ipsa determinatum applicare. Praeterea confessarius medici personam sustinens non modo morbos poenitentis spirituales agnoscit, verum et praesertim medicinam praestat. Apud omnes autem in confesso est nullum aptius remedium in curandis animi morbis haberi quam SS. Eucharistiam, quod quidem innuitur a S. Concilio Tridentino: « Sumi voluit (Christus) sacramentum hoc.... tanquam antidotum quo liberemur a culpis quotidianis, et a peccatis mortalibus praeservemur » [1]. Nec est dicendum alia praesto adesse remedia, quibus poenitentis morbis aut indigentiis subveniri possit, quod utique haud aegre conceditur; sed omnia coetera remedia carent illa efficacitate quae invenitur in SS. Eucharistia; neque confessarius exinde pro suo arbitrio, sed ad voluntatem Ecclesiae medicinam poenitenti debet praestare. Denique officio patris fungitur confessarius et qua pater, alimentum vitae filiis praebere tenetur, i. e. illum quotidianum panem, qui est Christus in Eucharistia. Fovetur enim atque vigorescit vita spiritualis SS. Eucharistiae Sacramento, de quo ait Tridentinum: Christus « sumi voluit hoc Sacramentum, tanquam spiritualem animarum cibum, quo alantur et confortentur, viventes vita illius qui dixit: Qui manducat me et ipse vivet propter me » [2]. Ad haec quoque referuntur verba Leonis XIII in encycl. cit. « *Mirae*

[1] Sess. XIII de Eucharistia c. 2 coll. Catech. rom. l. c. n. 45.
[2] L. c.

caritatis »: « Ea res (SS. Eucharistiae usus), qua nihil sane nec excellentius nec salutarius, ad omnes omnino, cuiuscumque demum muneris praestantiaeve sint, attinet, quotquot velint (neque unus quisquam non velle debet, divinae gratiae in se fovere vitam. cuius ultimum est adeptio vitae cum Deo beatae »; et postea: « ut enim corpus, ita anima cibo saepe indiget suo; alimoniam autem vitalem praebet sacrosancta Eucharistia ». In his ergo muneribus adimplendis meminerit confessarius se pro Christo legatione fungi et ministrum eius esse cui credimus, necnon Ecclesiae opus et officium implere [1].

155. Nec porro obliviscantur confessarii Ecclesiae desiderium esse de amplificando augendoque usu eucharistici panis, imo plerumque perfectiores poenitentis dispositiones imprimis ab ipsorum zelo, pietate vitaeque sanctitate pendere, quippe qui in sacro tribunali pios fideles monitis hortationibusque suis in viam perfectionis atque caritatis ducere possint. Caveant igitur ne in re tanti momenti vel proprio ingenio vel propriis opinionibus vel inveteratis usibus, iansenistico nonnumquam pulvere con-

[1] Optime ac breviter eadem notantur ab Emo Card. Gennari: « Confessarius est Ecclesiae minister et est poenitentis medicus et pater. Ut Ecclesiae minister, tenetur illis sacramenta praebere, qui ab ipso ius habent ea recipiendi; quod sacramentum Eucharistia augustius? Ut medicus tenetur medicinam praestare poenitenti ea indigenti: quae medicina SS. Communione efficacior? Ut pater tenetur filio spirituali suppeditare alimentum: quod alimentum Communione salutarius, cum qua omnis gratiae Auctor ipse recipitur? » Et concludit: « Nos itaque a culpa excusare non sciremus confessarium, qui regulae praetextu, poenitentem hoc validissimo auxilio, quale est SS. Communio, privare vellet; et hic S. Alphonsi iustissima verba, iterum repetimus quod quando poenitens est rite dispositus, non potest director sine scrupulo negare communionem frequentem », opusc. *Sulla frequente comunione* ed. ital. p. 42 sqq. cf. etiam idem argumentum pulchre demonstratum ap. P. Iosephum a S. Io. in Persiceto, op. cit. p. 83 sqq.

spersis, indulgeant et sic a ministerio sibi commisso deflectant, quo Dei indignationem incurrerent et offensam atque valde animabus essent damno.

156. Attamen ubi recta mens non habeatur, immo perspicuum est poenitentem vanitati inservire vel dumtaxat usum aliorum insequi aliisve humanis rationibus moveri, ita ut frequenti aut forte quotidiano accessu ad sacram mensam non fortior, sed debilior fiat, praesertim si ob communionis frequentiam insolescat atque superbiat, confessarii erit poenitentem corrigere atque ad frugem revocare, et, ni resipiscat, a sacrae mensae frequentiori aut quotidiano accessu arcere [1].

157. Non modo confessarius ullum afferat impedimentum, verum et poenitentes ad frequentiorem sacrae

[1] Eadem fere docuit Salmeron op. et l. c.: « Intelligat tamen, qui patris spiritualis munus exercet, non debere communione interdicere quemquam, nisi ob peccatum vel scandalum, vel aliquid aliud, quod illi magis expediat et salutarius existat ». coll. Molina op. cit. tr. VII, c. 5. — Nonnunquam obiicitur eos, qui sacram communionem frequentant, parum in via Domini progredi, et haud semel alios offendere, cum potius deberent mutare vitam aliisque suo praelucere exemplo. Hac quidem reprehensione quosdam esse dignos fatemur candide. Confessarius autem in hoc casu iuxta principia theologiae moralis quae scandalum respiciunt, se gerat, i. e. si poenitens requisitis careat dispositionibus, scandalum est activum seu datum atque omnino vitandum, et, nisi resipiscat, communionem frequentem aut quotidianam confessarius prohibeat. E contra si poenitens requisita habeat, scandalum est pusillorum, quod quantum fieri potest absque gravi incommodo, vitandum quoque est; at poenitens non potest obligari ut se privet communione: ius enim certum ad eam habet, et ex alia parte haec ipsa omissio ipsi forte nimis gravis videretur. Ceterum huiusmodi insimulationes ex infenso religioni plerumque procedunt animo, atque illis, qui huius rei se faciunt auctores, iure merito illud applicari posset: « Hypocrita, eiice primo trabem de oculo tuo, et tunc videbis eiicere festucam de oculo fratris tui ». Matth. VII, 5. Notandum vero est experientia compertum esse in eis qui hoc divinum mysterium ex fide et devotione frequentant, mirificam fieri vitae morumque mutationem.

communionis usum adhortetur. Etenim ipse personam quoque doctoris sustinet in sacro tribunali, et, qua talis, discipulum debet docere ea quae ad vitam spiritualem conservandam augendamque conferunt; conservatur autem et augetur haec vita coelesti SS. Eucharistiae Sacramento, prout iam supra diximus. Itaque crebris admonitionibus poenitentes hortetur ad usum frequentis ac quotidianae communionis eosque rite doceat quaenam Ecclesia ab eis exigat. At negandum non est quadam opus esse discretione: perspicuum enim est hanc salutarem consuetudinem apud plures homines saeculares non ita frequentatum iri neque frequentari posse sive quia huius rei insueti sunt sive quia respectu humano deterrentur sive etiam quia ipsis impossibile est quotidie aut frequentius communicare. Propterea vero ne animum dimittat confessarius; sed pia illa, ut ita dicamus, quae suggerit zelus, adhibeat artificia, ut poenitentes ad frequentiorem, imo et quotidianam, communionem inducat [1].

158. Eamdem vero obligationem, inducendi videlicet fideles ad frequentem quotidianamque communionem, imponit decretum Parochis et Praedicatoribus: « ***Cum autem perspicuum sit ex frequenti seu quotidiana S. Eucharistiae sumptione unionem cum Christo augeri, spiritualem vitam uberius ali, animam virtutibus effusius instrui, et aeternae felicitatis pignus vel firmius sumenti donari, idcirco Parochi, Confessarii et concionatores iuxta probatam Cate-***

[1] Vgr. poenitentes, qui solent singulis mensibus aut quindenis communicare, facile, suadente confessario, adducentur ad communicandum singulis quindenis vel hebdomadis, et sic paulatim ad frequentiorem et quotidianam transibunt communionem; vel quoque occasione communionis, quae fit occurrente prima feria VI in reparationem iniuriarum SS. Cordi Iesu illatarum, aut occasione adversitatis, gratiae specialis obtinendae etc. etc. cf. etiam Instruct. III pro sodalibus sacerdotalis eucharistici foederis, cuius textum reperies in append.

chismi Romani doctrinam (part. II, c. 63), christianum populum ad hunc tam pium ac tam salutarem usum crebris admonitionibus multoque studio cohortentur ».

159. Nec desunt alia authentica documenta e quibus eadem Ecclesiae mens pateat. Explicite namque illud pro Parochis onus tradit Catechismus Romanus inquiens: « Quare Parochi partes erunt fideles crebro adhortari, ut quemadmodum corpori in singulos dies alimentum subministrare necessarium putant: ita etiam quotidie hoc sacramento alendae et nutriendae animae curam non abiiciant: neque enim minus spirituali cibo animam, quam naturali corpus, indigere perspicuum est. Vehementer autem proderit hoc loco repetere maxima illa et divina beneficia, quae, ut antea demonstratum est, ex Eucharistiae sacramentali communione consequimur; illa etiam figura erit addenda, quod singulis diebus corporis vires manna reficere oportebat; itemque sanctorum Patrum auctoritates, quae frequentem huius sacramenti perceptionem magnopere commendant. Neque enim unius sancti patris Augustini ea fuit sententia: Quotidie peccas: quotidie sume; sed, si quis diligenter attenderit, eamdem omnium Patrum, qui de hac re scripserunt, sensum fuisse, facile comperiet » [1]. Haec breviter etiam iniungit Rituale Romanum: « Parochus summum studium in eo ponat, ut cum ipse venerabile hoc Sacramentum, qua decet reverentia, debitoque cultu tractet, custodiat et administret; tum etiam populus sibi commissus religiose colat, sancte frequenterque suscipiat » [2]. Quoad Episcopos statuerat

[1] L. c. n. 54.

[2] Tr. IV, c. 1. de SS. Euch. Sacram. n. 2. Placeat heic etiam addi praescriptionem Ritualis Ambrosiani: « Ad saluberrimum huius sacramenti frequenter sumendi usum Parochus fideles cohortabitur, atque excitabit nascentis Ecclesiae institutis et exemplis et SS. Patrum omnium

decretum « *Cum ad aures* », cuius verba ex epistola ad Episcopum Brixiensem a S. C. C. missa, 24 ianuarii 1587, desumpta sunt: « Episcopi in quorum diocesibus viget huius devotio erga Sanctissimum Sacramentum, pro illa gratia, Deo agant, eamque ipsi, adhibito prudentiae et iudicii temperamento, *alere debebunt*..... ». Ex his igitur luculenter probatur mentem voluntatemque semper fuisse Ecclesiae ut parochi et concionatores fidelem populum ad frequentiam communionis adhortentur.

160. Duplici porro via finem decreti consequentur Parochi, concionatores, et idem dicas de quibusvis curam animarum habentibus, sive in religiosis communitatibus aut conservatoriis, sive in seminariis aut collegiis: nimirum aut *per directionem individuam animarum*, et haec praesertim ad confessarium pertinet, uti supra diximus, aut *per conciones, meditationes vel explicationem Catechismi*. De hoc in praesenti sermo est. Itaque parochi, concionatores coeterique omnes curam animarum habentes integram doctrinam, absque ulla restrictione, de frequenti quotidianaque communione, prout a decreto ea proponitur, tenentur docere fideles omnes. In his vero concionibus, meditationibus aut admonitionibus exponant quid sit Eucharistia, ad quos fines fuerit instituta, quales producat effectus; quid sit necessario requisitum ad frequentem et quotidianam communionem, nempe status gratiae et recta piaque intentio. Nec praeterea, secundum moni-

consentiente doctrina; ut ex catechismo Romano discere poterit et sententia oecumenicae Synodi Tridentinae quae optaret quidem, fideles in singulis missis non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiae perceptione communicare ». De frequent. Sacram. recept. coll. synod. Mediol. cit. n. 243. cf. quae de S. Carolo Borromaeo diximus supra n. 82 et praesertim ea quae edixit in conc. prov. III, p. I, *de iis quae ad Sacram. Eucharistiam pertinent*, p. 92 ed. cit., ubi eadem fere verba referuntur ac in rituali ambrosiano. Molina sup. cit. n. 83 in not.

tum catechismi Romani, omittant Sanctorumque Patrumque adducere auctoritatem et exempla. Imo denique impugnent vanos timores, humanum respectum aliasque illas haud parum congruas excusationes, quibus multi suam negligentiam vellent velare. Sane illae admonitiones ac cohortationes personarum adiunctis accommodentur oportet; at simul doctrina integra et absque restrictione exponatur, quin cuipiam liceat suis indulgere opinionibus privatis, derelicta Ecclesiae sententia. Quin imo parum nobis videretur ministris Ecclesiae congruere, si hac de re raro fideles monerent, aut forte, quod absit, penitus tacerent [1]. Si Parochi, confessarii, concionatores aliique curam animarum habentes ita huic voluntati Ecclesiae obsecundarent, paulatim, adiuvante Dei gratia, plures ad frequentiorem SS. Eucharistiae usum adducent, qui, suo vitae christianae exemplo, alios trahent ad divinam illam mensam, nec parum iuvarent ad omnia in Christo instauranda. Nec deest, praeter illam decreti iniunctionem, novum solliciti Ecclesiae animi testimonium, scilicet S. Congregationis Indulgentiarum litterae, 10 aprilis 1907, quibus commendatur, praescribitur atque ditatur indulgentiis speciale ac solenne triduum quotannis, infra Octavam solemnitatis Corporis Christi vel alio tempore ab Ordinariis locorum statuendo, celebrandum, ut videlicet praxis introducatur ubique frequentis et quotidianae communionis [2].

161. Quod praxim vero attinet, nihil duximus opportunius quam heic exscribere monita Episcoporum Borussiae ad clerum: « .... Certe, hac mente Ecclesiae de mul-

[1] Cf. inst. cit. consociationis « *Sacerdotalis eucharistici foederis* ».

[2] Cf. textum in append. coll. Inst. cit. sacerdotalis eucharistici foederis VIII.

tiplicando in posterum largiusque quam prius distribuendo pane coelesti perspecta, diligentiori iam quam antea cura in id incumbent: primum ne quis ex fidelibus sibi commissis sola Communione paschali contentus sit; dein ut Communiones quae generales dicuntur quaeque a sociis variarum confraternitatum, sodalitatum, aliorum coetuum compluries in anno usurpari solent, a sociis omnibus frequententur, ac, si fieri possit, multiplicentur [1]; tum ut menstruae atque hebdomadariae Communionis usus itemque Communionis quae spiritualis dicitur salutare exercitium a S. Tridentina Synodo (sess. XIII, de Euch. c. 8; sess. XXII, de sacrif. missae, c. 6) commendatum apud fideles crebescat; postremo ut generatim fides, reverentia, amor erga SS. Eucharistiae Sacramentum ubique et apud omnes augeatur, diffundatur, perficiatur. Quodsi Sacerdotes Domini in hunc sensum assiduam fidelemque operam dabunt, sperandum erit eos sua sponte obtenturos ut et ipsa quotidianae S. Communionis saluberrima consuetudo, quae Ecclesiae tantopere in votis est, apud plures in dies Deo favente celebretur ».

162. Nostrum non est hic fuse effectus SS. Eucharistiae exponere: breviter eos decretum, ut in textu allato videre est, fusius Catechismus Romanus recensent. Praeterea summopere commendanda est meditatio pulcherrimae illius Leonis XIII epistolae encyclicae saepius citatae: « *Mirae caritatis* » in qua fuse traduntur proponunturque saluberrimi illi fructus, quos ex SS. Eucharistia, tanquam ex divino perennique fonte, tum individuum cum societas vel ipsa civilis colligere valet.

[1] Decretum ergo posset specialius urgeri apud Sodales Tertii Ordinis S. Francisci, Oblatos saeculares O. S. B., Congregationum B. M. V. et aliarum sodalitatum quae in parochiis, seminariis aut collegiis sunt erectae.

163. Iuvet per conclusionis modum heic verba Leonis XIII referre: « .... In eo praecipue est elaborandum, ut frequens Eucharistiae usus apud catholicas gentes late reviviscat. Id monent nascentis Ecclesiae, quae supra memoravimus, exempla, id Conciliorum decreta, id auctoritas Patrum et sanctissimorum ex omni aetate virorum.... Itaque praeiudicatae adversantium opiniones, inanes multorum timores, speciosae abstinendi causae penitus tollendae: ea enim agitur res, qua nihil fideli populo utilius tum ad redimendum tempus e sollicitis rerum mortalium curis, tum ad christianos revocandos spiritus constanterque retinendos. Huc sane magno erunt momento praestantiorum ordinum hortationes et exempla, maximo autem cleri navitas et industria. Sacerdotes enim, quibus Christus Redemptor Corporis et Sanguinis sui mysteria conficiendi ac dispensandi tradidit munus, nihil profecto melius pro summo accepto honore queant rependere, quam ut Ipsius eucharisticam gloriam omni ope provehant, optatisque sacratissimi Cordis eius obsequendo, animos hominum ad salutiferos tanti Sacramenti Sacrificiique fontes invitent ac pertrahant » [1].

CAPUT VI.

DE FREQUENTI QUOTIDIANAQUE COMMUNIONE IN RELIGIOSIS FAMILIIS.

164. Si inter populum christianum tantopere, suadente ac iubente Ecclesia, promovendus sit frequentis et quotidianae communionis usus, quanto magis in illis coe-

[1] Encycl. cit. « *Mirae caritatis* » in fin.

tibus, qui, vi professionis suae, vitam perfectiorem omni studio atque assiduitate in se excolere debent et in dies augere De his certe valent illa S. Ignatii, Apostolorum discipuli, iam citata verba: « Date operam, ut crebrius congregemini ad Eucharistiam, et gloriam Dei ». Sapientissime igitur statuit decretum: « ***Communio frequens et quotidiana praesertim in religiosis institutis cuiusvis generis promoveatur; pro quibus tamen firmum sit decretum*** Quemadmodum ***diei 17 mensis decembris 1890 a S. Congr. Episcoporum et Regularium latum*** ».

165. Ex his namque decreti verbis, nullam fieri distinctionem inter religiosas familias clericales et non clericales, cum votis sollemnibus et cum votis dumtaxat simplicibus, quod postea confirmabitur, iam clare constat. Attamen, quoad personam cui onus incumbit hanc saluberrimam devotionem promovendi, censemus aliquod adesse discrimen: nimirum familiae religiosae aliae sunt clericales, aliae vero non clericales. Quod priores porro attinet, Superiores, non secus ac Parochi aliique curam animarum habentes, tenentur subditos circa frequentem quotidianamque communionem instruere eosque ad illam cohortari. Sunt enim veri pastores, et, qua tales, omnem adhibere diligentiam debent, ut oves sibi creditae in divinam gratiam magis ac magis proficiant, ac vitam supernaturalem habeant et abundantius in dies habeant: hunc autem finem eos maxime per SS. Eucharistiam esse consecuturos iam perspicuum est. Religiosi vero ius habent ut hac in re, sicut et in aliis quae ad perfectionem suam spectant, a suis Superioribus edoceantur, et quidem, sicut iam supra diximus, sine ulla restrictione. De aliis autem familiis non clericalibus sive virorum sive mulierum, etsi Superiores et Superiorissae huic operi totis viribus cooperare possint et debeant, potius tamen partes erunt confessarii, ut statuit

decretum *Quemadmodum*, sacrae Communionis promovendi frequentationem. Ideo quae de confessario superius fuerunt dicta, heic quoque valent.

166. Saepe saepius, vel post editum decretum *Quemadmodum*, uniformitatis in religiosis communitatibus servandae praetextu, Superiores plures ac praesertim Superiorissae refugiebant a suadenda communione frequenti ac quotidiana, ne videlicet in illis coetibus orirentur vanitates, invidiae, zelotypiae, partialitates aut partialitatis suspiciones; imo nonnulli eo venerunt, ut contra decreti praescriptiones prohiberent, ne subditi confessario hanc sacrae communionis frequentiam suadenti aut permittenti bonum exhiberent obedientiae. Haudquaquam sane illi vel illae Spiritu Dei, non Sacramenti honore ac reverentia, non desiderio regularem observantiam efficaciter promovendi atque servandi, non voluntate spiritualem subditorum profectum curandi ducebantur, sed potius, Christi Ecclesiaeque quasi despecta voluntate, suam sequebantur voluntatem propriam [1].

167. In refutandis autem illis exaggerationibus non insistimus. Decretum *Quemadmodum* iam edixerat rem totam confessario dumtaxat esse remittendam, nec Superiores illorum institutorum, pro quibus fuerat hoc decretum promulgatum, vel praetextu regulae constitutionumve sese immiscere posse. Diximus *praetextu regulae constitutionumve*, quia ea, quae a decreto *Quemadmodum* statuta fuerant, confirmat, atque innovat decretum: « *Sacra Tridentina Synodus* » dicens: « ***Si quae sint instituta, sive***

[1] Optime ad rem A. Curé op. cit. t. I, p. 334: « Une communauté n'est pas une caserne où tout doit se faire sur la même plan, dans une uniformité absolue. Ce sont des âmes; elles ne sont pas toutes soumises à la même mesure, mais elles doivent être traitées chacune à sa manière, selon ses besoins ».

votorum sollemnium sive simplicium, quorum in regulis aut constitutionibus, vel etiam calendariis, Communiones aliquibus diebus affixae vel in iis iussae reperiantur, hae normae tanquam mere directivae, non tanquam praeceptivae putandae sunt. Praescriptus vero Communionum numerus haberi debet ut quid minimum pro Religiosorum pietate » [1].

168. Post decretum « *Sacra Tridentina Synodus* » haec nobis videntur statuenda de communionis frequentia in religiosis familiis:

1. Omne vetitum ne frequentius subditi accedant quam regula, constitutionibus aut calendariis iubentur, sublatum remanet; si autem in iis communiones aliquibus diebus affixae aut etiam in iis iussae reperiantur, hae normae tantummodo directivae habendae sunt.

2. Quodsi quis aut quae ex religiosis, quibus frequens aut quotidiana communio in usu est, post ultimam sacramentalem confessionem communitati scandalo fuerit aut gravem externam culpam patraverit, vi decreti *Quemadmodum*, fere in omnibus a decreto « *Sacra Tridentina Synodus* » confirmati, Superioris aut Superiorissae fas erit eosdem a sacra mensa arcendi, donec ad confessarii tribunal denuo accesserit.

169. Quod confessarium vero attinet, derogatur decreto *Quemadmodum*, cum dicatur: « ***frequens vel quotidianus accessus ad eucharisticam mensam libere eisdem patere semper debebit, iuxta normas superius in hoc decreto traditas*** ». Traditae autem normae requirunt in communicante statum gratiae, rectam piamque intentionem atque confessarii consilium. Idcirco ea omnia, quae superius de munere confessarii fuerint dicta, heic pariter valent. Con-

[1] Cf. in app. S. Poenitent. in Camerac. 19 nov. 1885; S. C. Ep. Reg. in Burdig. 4 aug. 1888; S. Offic. 2 iul. 1890; S. C. Ep. Reg. 17 aug. 1891.

fessarium porro intellige, quando de religiosis familiis agitur, ordinarium sive extraordinarium [1]. Si quae vero e personis religiosis cum consilio confessarii frequentius vel quotidie ad sacram mensam accedere velit, ea Superiorem vel Superiorissam de hac re moneat oportet, at semel tantum [2].

170. Cum autem decretum « *Sacra Tridentina Synodus* » non modo religiones non clericales, sed etiam clericales, imo et ordines regulares respiciat, ulterius inquirendum erit, quid sit de iis respectu ad frequentem quotidianamve communionem statuendum? Si *Superiores*, qua tales, considerentur, idem eis incumbit onus quod de Parochis, aliisque curam habentibus diximus, i. e. promovendi crebris monitionibus ac hortationibus sacrae communionis frequentiam; imo propter scandalum communitati post ultimam sacramentalem confessionem datum aut gravem externam culpam patratam, vel in iis casibus in quibus ex regula aut constitutionibus legitime approbatis hanc privationis poenam imponere possent, ipsi valent subditos a sacra mensa arcere, donec ad confessarii tribunal rursus accesserint; confessarii autem erit iudicare utrum ante communionem poenitens teneatur scandalum reparare; de quo etiam Superior, si est confessarius, iudicabit, at in foro sacramentali tantum. Si vero Superiores, qua confessarii subditorum, qui sua sponte ad eos accedunt, considerentur, normam observare debent a decreto

[1] Non putamus hanc facultatem ad ordinarium confessarium esse restringendam; sed ea quoque pollet extraordinarius, quin subditus cogatur ordinario manifestare quid ab altero fuerit permissum. Non modo in sacro tribunali confessarius hanc facultatem potest exercere, sed, ut videtur, etiam extra; at extraordinarius hac non fruitur, nisi eo moraliter tempore quo confessionem licite excipere valet.

[2] Cf. resp. S. Off. 2 iulii 1890 in append.

statutam, i. e. communionem suadere valent, minime vero prohibere, nisi poenitentes necessario requisita non habeant.

171. Superioribus praeterea illis, cum plerumque iurisdictione gaudeant ecclesiastica, non videtur denegandam esse facultatem indulgendi communiones extraordinarias; at eas praecipere non possunt, quia, ex verbis decreti supra relatis, normae, quae aliquibus diebus communionem praescribunt, habendae sunt tanquam mere directivae et praescriptus communionum numerus haberi debet ut quid minimum pro religiosorum pietate. Nec ideo facile his diebus a sacra communione sese abstineant religiosi.

172. Hortationes autem, quas decretum ad fideles in genere dirigit, a fortiori valent de illis animis quae perfectionis professionem faciunt. Quapropter et ipsae praesertim maximopere satagant vitare peccata venialia, saltem plene deliberata, eorumque affectum dimittere atque sese maiori, qua par est, puritate sese ad sacram alimoniam praeparare. Hinc quo frequentius coelesti pane reficiuntur, eo maiorem in adipiscenda religiosa perfectione fervorem acquirere et orationis assiduitatem, spiritus recollectionem, obedientiam, caritatem, humilitatem caeterasque virtutes, quae religiosam personam decent, colere, aliisque quibuscum vivunt bono semper exemplo praelucere studeant.

173. Ne hoc tanti momenti decretum inane et absque effectu remaneat, sapienter disponitur: « ***Ut autem omnes utriusque sexus religiosi huius decreti dispositiones rite cognoscere queant, singularum domorum moderatores curabunt, ut illud quotannis vernacula lingua in communi legatur intra Octavam festivitatis Corporis Christi*** ». Nullum equidem opportunius eligi poterat tempus, quam illa sollemnis octava, in qua beneficium huius sacri convivii spe-

ciali modo ab Ecclesia recolitur atque celebratur. Locus porro in quo lectio huius decreti est facienda, Superioris vel superiorissae relinquitur iudicio. Communis ergo ista lectio fieri poterit in aula capitulari, aut ubi spiritualis solet fieri collatio, vel etiam in triclinio, ita tamen ut *omnes* eam audire queant. Dicitur *omnes*, quia huius legis notitia non modo respicit religiosos laicos aut sacerdotio nondum auctos, verum et etiam sacerdotes, qui plerumque excipiunt confessiones sive saecularium sive religiosorum [1].

CAPUT VII.

DE COMMUNIONE IN SEMINARIIS ALIISQUE IUVENTUTIS INSTITUTIS ATQUE PUERORUM.

174. Quanti momenti habeat Ecclesia frequentem et quotidianam communionem in clericorum seminariis, constat ex verbis decreti sequentibus, quae exhortationem ad religiosas familias immediate sequuntur: « ***Quam maxime quoque promoveatur in clericorum seminariis, quorum alumni altaris inhiant servitio; item in aliis christianis omne genus ephebeis*** ». Non est sane cur heic multa dicamus: satis enim superque patet eis, qui tremendum altaris sacrificium celebraturi sunt, nullam aptiorem sanctioremque praeparationem dari posse frequenti quotidianaque

[1] Cum saepe decretum *Quemadmodum* fuerit citatum, ad eius mentem plane assequendam consuli possunt: Card. Gennari, *Consultazioni morali-canoniche-liturgiche* t. I, 582, Romae, 1902; P. Pie de Langogne, *l'ouverture de conscience, les confessions et communions dans les communautés*, Paris, 1891, ital. vers. Napoli, 1892; P. Iosephus a S. Io. in Persiceto cit.; Bastien, Directoire canonique p. 223 sqq. etc.

communione, qua quidem ipsi alumni, divino Magistro arctius sese uniendo, illius virtutes, praecipue puritatem, mortificationem animarumque zelum, induunt eisque plenius in dies informantur. In seminariis ergo clericorum tam minoribus quam maioribus alumni concionibus communibusque exhortationibus, necnon in poenitentiae sacro tribunali suaviter invitandi erunt, ut statutis in qualibet domo communionibus haud contenti frequentius pane Angelorum reficiantur, imo etiam quotidie; id quod nominatim ab alumnis, qui mox sacrum presbyteratus ordinem recipient, iam expectari poterit.

175. Neque in aliis tam puerorum quam puellarum ephebeis frequentior usus sacrae communionis a confessariis sacerdotibusque, qui iisdem praesunt, negligendus erit. Ibi revera maiori iam prudentia ac cautionè uti oportebit, ne in re tam gravi mens deficiat recta, ne humanae rationes apud pueros puellasque praevaleant, ne hanc consuetudinem, dum sub magistrorum tutela sunt, facile arripiant, postea abiiciant, ne animi teporem induant atque pro frequentia sacramentorum negligentiae in iisdem percipiendis assuescant. Huiusmodi timores prorsus inanes non sunt. At providi Superioris erit illa praecavere mala quae timentur a pluribus; nec deficiet confessarii prudentis opera. Etenim quod praesertim attinet Superiores, quantum fieri possit, facilis pateat accessus ad confessarium, quin hac de re interrogent Superiores invigilatoresve, si confessarius in collegio degerit; sin alias satagant, ut saltem bis in hebdomada excipiantur confessiones. Caveant praeterea omnino ne aliquid alumnorum libertati detrahatur sive determinati dies statuantur, quibus accedi debeat ad sacram dapem. Non tamen propterea abrogandae sunt communiones generales, quae certis sollemnitatibus fieri solent; at numquam illi, quibus disci-

plinae servandae cura praesertim incumbit, videantur notare eos qui obiter vel et saepe abstinent, aut favere eis qui frequenter communicant. Haec namque ratio omnino periculosa est ac menti decreti contraria, cum potius ad dissimulationem inducat quam ad rectam intentionem. Confessarii autem munus in dirigendis pueris et iuvenibus non caret difficultate, spectata talis aetatis indole: cavendum namque ipsi est tum a laxismo, quocum omnes indiscriminatim, fervoris specie fovendi, admitteret, tum simul a rigorismo illo, qui plerosque, sub levitatis praetextu, a sacra communione arceret. Quapropter maxima cum cura eos doceat divina illa beneficia, quae ex SS. Eucharistiae communione sunt consecuturi, nutriat propensam illam, quam habent, erga SS. Sacramentum voluntatem, eis demonstret quam valens sit remedium ad innocentiam suam servandam [1]. At simul ne omittat eos monere, ut non humanis rationibus accedant, sed unice ut Deo fiant gratiores magisque in dies proficiant in caritate; eos hortetur, ut quo frequentius sacram alimoniam recipiant, eo maiorem obedientiam acquirere, fidelius obligationes sui status adimplere studeant. Quos vero tepidos invenerit suaviter prudenterque excitet, ut hunc saluberrimum frequentis aut quotidianae communionis usum discant in eaque fideliter perseverent.

176. Cum autem decretum « *Sacra Tridentina Synodus* » omnibus christifidelibus cuiusvis ordinis aut conditionis, ac quam maxime in institutis religiosis, clericorum seminariis necnon in aliis christianis ephebeis commendaret frequentem et quotidianum SS. Eucharistiae accessum, iam dubitatum est, utrum pueris ad sacram mensam nuper admissis permitti potuerit ille frequens quotidia-

[1] Cf. verba S. Petri Damiani, n. 41.

nusve accessus coeteris valde commendatus. In pluribus enim dioecesibus mos hucusque vigebat, quo pueri et puellae ad primam communionem semel admissi prohibebantur de S. Synaxi cito iterum participare: imo alicubi nonnisi post annum ad novam eucharisticae mensae participationem accedere permittebantur, in nova nempe sollemni functione primae communionis.

177. Rationes porro quae militant ad continendos pueros a frequenti S. Synaxis participatione ita plerumque exponuntur. 1. Ipsi non ea adhuc discretionis mente praediti apparent, quae requiritur ad hoc, ut digne et efficaciter sumere frequenter valeant SS. Corpus Christi. Quum praeterea a rebus sensibilibus et extrinsecis facile abstrahantur, atque facilius a contemplatione mysteriorum Dei avertantur, timendum est ne saepe saepius absque debita praeparatione et gratiarum actione ad SS. Eucharistiam accedant ac sacramentum periculo irreverentiae ita exponant. Iam vero docente Bellarmino (de sacram. Eucharist. l. IV, c. 23), ex duobus malis semper est eligendum minus malum, et in casu, cum pueri quotidiana communione non necessario indigeant nec sine irreverentia eis dari possit, consultius eisdem deneganda esse videtur. 2. Accedit quod per nimiam communionis quotidianae commendationem maior in pueris foveri potest hypocrisis, qui proinde, vi etiam metus reverentialis, in maiora quoque sacrilegia prolabuntur. 3. Insuper decretum « *Cum ad aures* » communionis frequentis aut quotidianae usum dimetiendum esse docet « ex conscientiarum puritate et frequentiae fructu et ad pietatem profectu ». Quae quidem omnia difficulter verificantur in pueris, qui, utpote a vehementibus passionibus moti, conscientiae anxietatibus agitantur, in peccata saltem venialia prolabuntur, atque parum vel nihil pietatis augmenti ostendunt. 4. Demum

in decreto « *Sacra Tridentina Synodus* » edicitur, ut haec communio « quam maxime promoveatur in clericorum seminariis.... ; item in aliis christianis omne genus ephebeis ». Quapropter non satis patet communionem in casu aliis pueris, qui extra dicta loca seu in medio saeculi versantur, suaderi. Insuper *ephebus* idem est ac pubes, qui, iuxta ius romanum et canonicum, iam ad annos 14 pro maribus, et 12 pro feminis pervenerit, et apud Graecos, teste Forcellini, qui decimum sextum aetatis annum attigerit. Ideoque pueri excludi videntur.

178. At ex adverso, non minora stant pro frequenti puerorum Communione. Atque in primis suffragatur vetus plurium ecclesiarum disciplina, vi cuius sacramentum Eucharistiae parvulis quoque concessum fuit, ut late probat Card. Bona (*Rerum liturg., lib. 2, cap. 12, n. 2*). Tunc temporis in usu erat ut quicumque baptizabantur, sive adulti, sive infantes, una simul pane Eucharistico reficerentur. Quae quidem praxis, quamvis tractu temporis abolita fuerit, tamen minime reprobanda est, cum et ipsum Conc. Trid. (*Sess. 21, cap. 4, de Comm.*) dicat: « Neque ideo damnanda est antiquitas, si eum morem in quibusdam locis aliquando servavit ». Et merito; nam, ut habet Bellarminus (*loc. cit., lib. 1, c. 7*), « infantes in baptismate ius acquirunt ad Eucharistiam percipiendam ».

Quocirca factum est ut primis Ecclesiae saeculis pueri ante mensam assisterent, atque primi post clericos communicarent; item si multae particulae Corporis Christi superessent, sacerdotes pueros incorruptos accerserent, qui eas comederent, quemadmodum idem Card. Bona (*loc. cit.*) ex pluribus testimoniis refert. Nulla igitur habetur ratio, cur haec frequens, immo et cotidiana Communio hodierno tempore non sit pueris maxime consulenda.

2. Idque eo vel magis, quia necesse omnino est ut

pueri, antequam passionibus praeveniantur, Christo imbuantur, et ita maiori vi repellere possint conatus diaboli, carnis, aliorum internorum et externorum hostium. Ad rem in aureo libro *De imitatione Christi* (*lib. 4, cap. 3*) haec leguntur: « Proni enim sunt sensus hominis ad malum ab adolescentia sua; et nisi succurrat divina medicina, labitur homo mox ad peiora... Retrahit ergo sancta Communio a malo et confortat in bono ». Eucharistia enim sacramentis novae legis accensetur, quae gratiam tum sanctificantem tum sacramentalem conferunt *ex opere operato*, quandocumque obicem in suscipiente non reperiant. Nec plus aliquid obicis in pueris quam in adultis exspectandum est *ex opere operantis*, quia, praeterquam quod ignorantia in pueris ab innocentia compensaretur, inconsideratio eorum ac levitas nimis urgenda non est [1].

[1] Unde De Ségur, *La très sainte communion* haec inter alia habet:

« Les enfants, aussi bien que les grandes personnes peuvent et doivent communier souvent. Notre-Seigneur ne demande que ce qu'ils sont capables de lui donner, et il connaît mieux que nous cette légéreté qui nous effraye; mais il sait aussi, et beaucoup mieux que nous, que l'innocence est le plus précieux de tous les trésors, que le démon veut la leur ravir de bonne heure, et que la communion seule peut le défendre des ruses de l'ennemí.

« On ne communie jamais trop quand on communie bien, avons-nous dit plus haut; et il suffit, pour bien communier, de recevoir le Sauveur avec une sincère bonne volonté. Cela est vrai des enfants comme des hommes; et l'expérience fait connaître que rien n'est plus sincère que la bonne volonté d'un enfant qui vient de faire sa première communion. Il aime Jésus-Christ, il le désire; pourquoi ne pas le lui donner? Il est souvent plus digne de le recevoir que nous autres, qui dédaignons sa piété. " Laissez venir à moi les petits enfants, nous dit le divin Maître; le royaume du ciel est pour ceux qui leur ressemblent ,,. Le royaume du ciel sur la terre, c'est l'Eucharistie.

« " Les enfants sont légers ,, , dites-vous? Rien n'est plus vrai, et c'est à cause de cela même qu'il faut les faire communier souvent quand ils aiment et veulent aimer le bon Dieu. La légéreté n'est un obstacle à la communion que quand elle est volontaire. Pour un enfant, une

3. Hoc dumtaxat modo verificari potest illud verbum Domini: *Sinite parvulos venire ad me, talium est enim regnum caelorum.* Regnum autem caelorum in terris nonnisi Eucharistia est, quae instituta fuit ad vitam spiritualem conservandam ac nutriendam.

4. Quaenam praeterea sit hac de re mens Ecclesiae, hodiernis praesertim temporibus, luculenter apparet ex litteris quibus Card. Antonelli, Secretarius Status S. S., de speciali Pii IX mandato, die 12 martii 1866 plurium Episcoporum Galliae attentionem et sollicitudinem excitat, ut rectam sequantur normam, pueros ad sacramentorum frequentiam admittentes. Scribit enim: « ..... Que même après les avoir admis *(nempe infantes)* pour la première fois à la table eucharistique, on a coutume de les en tenir éloignés pendant longtemps, leur défendant, dans certains endroits, de communier au temps de Pâques, l'année qui suit leur première Communion. Qu'enfin il y a même des séminaires où règne l'usage d'éloigner pour plusieurs mois les jeunes élèves du Sacrement de l'autel, sous prétexte d'attendre une plus mûre préparation. Sachant combien la fréquentation des sacrements de Pénitence et d'Eucharistie importe à la garde et à la conservation de l'innocence dans les enfants; sachant que cet usage fréquent des sacrements contribue admirablement à alimenter et forti-

semaine est un mois; à cet âge les impressions se succèdent vives et rapides; il faut donc réitérer souvent les impressions chrétiennes, si on veut préparer pour l'avenir des hommes forts dans la foi.

« " Les enfants sont légers? „ Oui, mais ils sont bons et affectueux; et il faut donner à leur besoin d'aimer son véritable aliment; il faut leur faire aimer Jésus-Christ, et pour cela il faut les mettre souvent en rapport intime avec lui. Leurs défauts, tout réels qu'ils sont, ont peu de consistance, et c'est la piété qui empêchera ces défauts de devenir des vices ».

fier la piété naissante dans les jeunes cœurs auxquels elle fait embrasser avec ardeur les pratiques de notre sainte religion... le Saint-Père, désireux de voir modifier un système si mal entendu et si préjudiciable aux intérêts spirituels des jeunes enfants, m'a chargé d'appeler sur cet abus l'attention de V. S.... afin de parvenir à réformer dans un sens plus conforme à l'esprit et à la discipline de l'Eglise, ce défectueux système de soins spirituels à l'égard des enfants ».

5. Hoc idem eruitur ex decreto ab hac S. C. die 20 decembris 1905 edito, in quo *omnibus Christifidelibus* commendatur frequens ac cotidiana Communio; necnon ex duobus aliis superius recensitis decretis S. C. Ind. et SS. Rel., quibus hac de causa speciales indulgentiae ac privilegia *omnibus* indiscriminatim *fidelibus* conceduntur. Inter quos proinde etiam pueros qui usum rationis adepti sunt quique primam perceperunt Communionem, non est dubium recensendos esse. Haec S. C. mandavit quidem, ut in clericorum Seminariis aliisque christianis omne genus *ephebeis* quam maxime foveatur cotidiana Communio, sed praeterquam quod heic sermo est de peculiari commendatione Seminariis ac ephebeis facta, quin alii fideles excludantur, vox *ephebeorum* lato sensu accipienda esse videtur, ut nempe significet omnia pia instituta in quibus etiam pueri instruantur atque educentur.

Ex quibus omnibus non immerito infertur cotidianam Eucharistiae sumptionem non solum adultis, sed etiam pueris summopere suadendam esse.

179. Unde ad dubium: « *Quotidiana Eucharistiae sumptio in catholicis ephebeis suaderine debet etiam pueris quibuscumque post susceptam primam Communionem?* » S. Congr. Concilii, die 15 septembris 1906, decernendum censuit: « *Sacrae Communionis frequentiam commendari iuxta arti-*

culum primum Decreti etiam pueris, qui ad sacram mensam iuxta normas in Catechismo Romano, c. 4, n. 63, semel admissi, ab eius frequenti participatione prohiberi non debent, sed potius eos ad id hortari, reprobata praxi contraria alicubi vigente » [1].

180. Huic autem sapientissimo consilio multa forsitan obsistent eiusque plenum affectum impedient: vincendi namque sunt inanes timores, vanaeque haesitationes parentum et nonnumquam sacerdotum, qui, inveteratis usibus inhaerentes, difficulter aut nonnisi paulatim mores mutabunt suos. Ideo hac in re aliqua opus est discretione ac prudentia: videlicet parentibus praesertim exponenda est doctrina integra et sine restrictione de communione frequenti et quotidiana, ac maximopere de fructibus, quos pueri ex tam sancta consuetudine colligerent ad servandam animae innocentiam compescendasque passiones; nec omittatur parentibus suadere, se ex puerorum pietate maximam recepturos esse consolationem, filiis nimirum eos maiori prosequentibus observantia suisque voluntatibus ac desideriis obtemperantibus promptius hilariusque.

181. Praecipua autem erit confessarii cura in eorum dispositiones invigilandi eosque pro intelligentia aut conditione status docendi, quae requirat reverentia atque SS. Sacramenti cultus, ut ex tam salutari exercitio quam plurimos recipiant fructus. Nec unquam, quod absit, hac in re, sacerdos divitem et pauperem, dominum et famulum dignoscat, memor illius Prophetae comminationis: « *Quod crassum videbatis, assumebatis; et quod debile erat, proiiciebatis* » [2]; quin e contra ob tanta pericula, in quibus

[1] Cf. Act. S. Sedis, t. 39, 499 sqq.; Analecta eccles. 1906, p. 383 sqq. ubi votum Ill.mi Secretarii huius S. C. reperies, e quo plura excerpsimus.

[2] Ezech. 34, 3.

versantur pueri et puellae in diversis illis, quas frequentant necessitatis causa, officinis, maiori censemus eis opus esse spirituali auxilio, atque ideo sedulo adhortandos esse ad communionis frequentiam.

CAPUT VIII.

CLAUSULAE DISPOSITIVAE.

182. Cum decretum « *Sacra Tridentina Synodus* » dispositiones ad frequentem quotidianamque communionem tam clare indicet, iam omnis hac de re quaestio evadit inutilis; ideoque statuitur: « ***Denique post promulgatum hoc decretum omnes ecclesiastici scriptores a quavis contentiosa disputatione circa dispositiones ad frequentem et quotidianam communionem abstineant*** ». Prohibetur ergo omnis contentiosa disceptatio disputatiove circa dispositiones ad frequentem SS. Eucharistiae accessum necessarias, et quidem hoc vetitum non modo restringitur ad scriptores eos, qui argumenta istiusmodi tractare consueverunt, verum et ad omnes prorsus extenditur. Cedant omnia praeiudicia, cedant et proprii sensus; devoti sint omnes erga Romanum Pontificem, Vicarium Christi et Caput Ecclesiae [1].

[1] Placeat hic referri praeclara P. Faber de devotione erga Summum Pontificem verba: « La dévotion au Pape forme une partie essentielle de la piété chrétienne » — « C'est un caractère invariable des Saints, à toutes les époques, d'avoir une vive et sensible dévotion envers le Saint-Siège » — « Nous devons le servir avec une soumission entière, cordiale, joyeuse, et surtout dans ces abominables jours d'accusations et de blasphèmes, avec la plus éclatante, la plus chevaleresque et la plus intrépide fidélité ». *De la dévotion au Pape* p. XVII, XIX, XXIII.

183. Committitur denique huius decreti executio curae Ordinariorum locorum et Praelatorum Regularium: « ***Mandavit insuper ut mittatur ad omnes locorum Ordinarios et Praelatos Regulares ad hoc ut illud cum suis Seminariis, Parochis, institutis religiosis et sacerdotibus respective communicent, et de executione eorum quae in eo statuta sunt S. Sedem edoceant in suis relationibus de dioecesis seu instituti statu*** ».

Faxit Deus, ut, omnibus diligenter strenueque cooperantibus, sanctissima illa ac saluberrima consuetudo in dies augeatur et ubique propagetur! Singulare equidem fuit divinae Providentiae consilium, quae hisce diebus potissimum, quibus Religio ac fides catholica undequaque impetitur atque summa vi corrumpere iuventutem conantur inimici, reservavit remedium frequentis et quotidianae communionis tam efficax ad impugnandum grassantem ubique naturalismi rationalismique perniciosam luem atque ad vitam christianam tum in familia cum in societate restaurandam.

APPENDICES

PRAECIPUA DE FREQUENTI QUOTIDIANAQUE COMMUNIONE DOCUMENTA.

I.

QUAEDAM CONC. TRIDENTINI CAPITA: DE SS. EUCHARISTIA.

1. *De ratione institutionis sanctissimi huius Sacramenti* [1].

184. Ergo Salvator noster, discessurus ex hoc mundo ad Patrem, Sacramentum hoc instituit, in quo divitias divini sui erga homines amoris velut effudit, *memoriam faciens mirabilium suorum* [2], et in illius sumptione colere nos sui memoriam praecepit; suamque annunciare mortem, donec ipse ad iudicandum mundum veniat. Sumi autem voluit Sacramentum hoc, tamquam spiritualem animarum cibum, quo alantur et confortentur viventes vita illius, qui dixit: *Qui manducat me et ipse vivet propter me* [3]; et

[1] Sess. XIII, *De Euchar.*, c. II.
[2] Psal. CX, 4.
[3] Io. VI, 58.

tamquam antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis, et a peccatis mortalibus praeservemur. Pignus praeterea id esse voluit futurae nostrae gloriae, et perpetuae felicitatis; adeoque symbolum unius illius corporis, cuius ipse caput existit, cuique nos, tamquam membra, arctissima fidei, spei et charitatis connexione adstrictos esse voluit; ut idipsum omnes diceremus, *nec essent in nobis schismata* [1].

2. *De praeparatione, quae adhibenda est, ut digne quis sacram Eucharistiam percipiat* [2].

185. Si non decet ad sacras ullas functiones quempiam accedere, nisi sancte; certe, quo magis sanctitas et divinitas coelestis huius Sacramenti viro Christiano comperta est, eo diligentius cavere ille debet, ne absque magna reverentia et sanctitate ad id percipiendum accedat, praesertim cum illa plena formidinis verba apud Apostolum legamus: *Qui manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit, non diiudicans Corpus Domini* [3]. Quare communicare volenti, revocandum est in memoriam eius praeceptum: *Probet seipsum homo* [4]. Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque praemissa Sacramentali Confessione ad Sacram Eucharistiam accedere debeat. quod a Christianis omnibus, etiam ab iis sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, haec sancta Synodus perpetuo servandum esse decrevit, modo non desit illis copia confessoris; quod si, necessitate urgente, sacerdos absque praevia confessione celebraverit, quamprimum confiteatur.

[1] I. Cor. I, 10.
[2] Sess. XIII cit., c. VII.
[3] I. Cor. II, 27.
[4] L. c. 28.

3. *De usu admirabili huius Sacramenti* [1].

186. Quoad usum autem, recte et sapienter patres nostri tres rationes hoc sanctum Sacramentum accipiendi distinxerunt, quosdam enim docuerunt *sacramentaliter* dumtaxat id sumere, ut peccatores: alios tantum *spiritualiter*, illos nimirum qui voto propositum illum coelestem panem edentes, fide viva, quae per dilectionem operatur, fructum eius et utilitatem sentiunt; tertios porro *sacramentaliter* simul et *spiritualiter;* hi autem sunt, qui ita se prius probant et instruunt, ut vestem nuptialem induti ad divinam hanc mensam accedant. In sacramentali autem sumptione semper in Ecclesia Dei mos fuit ut laici a sacerdotibus Communionem acciperent; sacerdotes autem celebrantes seipsos communicarent: qui mos tamquam ex traditione Apostolica descendens, iure ac merito retineri debet. Demum autem paterno affectu admonet sancta Synodus, hortatur, rogat, et obsecrat per viscera misericordiae Dei nostri, ut omnes et singuli, qui Christiano nomine censentur, in hoc unitatis signo, in hoc vinculo charitatis, in hoc concordiae symbolo iam tandem aliquando conveniant et concordent, memoresque tantae Maiestatis, et tam eximii amoris Iesu Christi Domini nostri, qui dilectam animam suam in nostrae salutis pretium, et carnem suam nobis dedit ad manducandum; haec sacra mysteria Corporis, et Sanguinis eius, fidei constantia et firmitate, ea animi devotione ac pietate et cultu credant et venerentur, ut panem illum supersubstantialem frequenter suscipere possint; et is vere eis sit animae vita, et perpetua sanitas mentis, cuius vigore confortati ex huius miserae peregrinationis itinere ad coelestem patriam pervenire valeant, eumdem panem Angelorum quem modo

[1] Sess. XIII cit., c. VIII.

sub sacris velaminibus edunt, absque ullo velamine manducaturi.

4. *De SS. Communionis frequentia et Missis privatis* [1].

187. Optaret quidem sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes, non solum *spirituali* affectu, sed *sacramentali* etiam Eucharistiae perceptione communicarent, quod ad eos sanctissimi huius sacrificii fructus uberior proveniret: nec tamen, si id non semper fiat, propterea Missas illas, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, ut privatas et illicitas damnat, sed probat, atque adeo commendat, siquidem illae quoque Missae vere communes censeri debent; partim quod in eis populus spiritualiter communicet, partim vero, quod a publico Ecclesiae ministro non pro se tantum, sed pro omnibus fidelibus, qui ad Corpus Christi pertinent, celebrentur.

II.

EPISTOLA S. CONGR. CONCILII AD EPISCOPUM BRIXIENSEM.

188. Rm̃e Dn̄e. Consuluit Amplitudo Tua SS. D. N.: An laicis in civitate ista et dioecesi negotiantibus, coniugatis, item qui sacrosanctam Eucharistiam frequentius aut etiam quotidie sumunt, nec tamen alios alio insigni in virtutibus progressu antecedere censentur, expediret certos aliquos dies statuere, quibus tantummodo communicarent? Re autem huiusmodi ab Eius Sanctitate ad sacram Congregationem Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum delata, Illm̃i Patres unanimi sententia ita censuerunt: Etsi frequens quotidianusque usus huius admirandi Sacra-

[1] Sess. XXII de Sacr. Miss., c. VI.

menti a sanctis Patribus fuerit semper in Ecclesia probatus, nunquam tamen, aut saepius illud percipiendi, aut ab eo abstinendi certis singulis mensibus, aut hebdomadis, dies statuerunt, quos nec Concilium Tridentinum praescripsit, sed quasi humanam infirmitatem secus reputaret, nihil praecipiens, quid cuperet tantum inculcavit, cum inquit: « *Optaret quidem Sacrosancta Synodus, ut in singulis missis fideles adstantes Sacramenti Eucharistiae perceptione communicarent* ». (sess. XXII de Sacr. Miss. c. 6). Idque non immerito. Multiplices enim sunt conscientiarum recessus, variae ob huiusmodi negotia spiritus alienationes; multae contra gratiae et Dei dona parvulis elargita, quae cum humanis oculis scrutari non possimus, nihil certe de cuiusque dignitate, aut integritate, et consequenter de frequentiori, aut quotidiano vitalis panis esu potest constitui. Et propterea quod ad negotiatores ipsos attinet, frequens ad sacram alimoniam percipiendam accessus confessariorum secreta cordis explorantium iudicio est relinquendus, qui ex conscientiarum puritate et frequentiae fructu, et ad puritatem processu laicis negotiatoribus et coniugatis, quod prospicient eorum saluti profuturum, id illis praescribere debebunt. In coniugatis autem hoc amplius advertent, cum B. Apostolus nolit eos invicem fraudari, nisi forte ad tempus ut vacent orationi, eos serio admoneant, tanto magis ad sanctissimae Eucharistiae reverentiam continentiae vacandum, puriorique mente ad coelestium epularum communionem esse conveniendum. In hoc igitur pastoralis diligentia potissimum invigilabit non ut a frequenti aut quotidiana sacrae Communionis sumptione unica praecepti formula deterreantur; aut sumendi dies universe constituantur, sed magis quid singulis permittendum per se, aut per parochos, seu confessarios sibi decernendum putet, illudque omnino provi-

deat, ut nemo a sacro convivio, seu frequenter, seu quotidie accesserit, repellatur. Et nihilominus det operam ut unusquisque digne, pro devotionis et praeparationis modo rarius aut crebrius Dominici Corporis suavitatem degustet. Quod autem de monialibus quotidie sacram communionem petentibus Amplitudo Tua quaeritur, admonendae illae erunt, ut diebus ex earum ordinis instituto praestitutis communicent. Si quae vero puritate mentis eniteant et fervore spiritus ita incaluerint, ut dignae quotidiana SS. Sacramenti perceptione videri possint, id illis a superioribus permittatur. Proderit etiam praeter parochorum et confessariorum diligentiam, opera quoque concionatorum uti, et cum eis constitutum haberi, ut cum fideles ad SS. Sacramenti frequentiam (quod facere debent) accenderint, statim de magna ad illud sumendum praeparatione orationem habeant, generatimque ostendant, ut qui ad quotidianam aut frequentiorem salutiferi cibi sumptionem devoto studio excitantur, debere, sive laici negotiatores sint, sive coniugati, suam agnoscere infirmitatem, ut dignitate Sacramenti, ac divini iudicii formidine discant coelestem mensam, in qua Christus est, revereri. Etsi quando se minus paratos senserint, ab ea abstinere, seque ad maiorem praeparationem accingere. Est autem quod Amplitudo Tua de huiusmodi in ista civitate et dioecesi erga SS. Sacramentum devotione gratias Deo agat, quam ipsa adhibito prudentiae et iudicii temperamento alere debebit, suoque officio postulari sibi maxime persuadebit, nulli labori aut diligentiae parcendum, ut omnis irreverentiae et scandali suspicio in veri et immaculati Agni perceptione tollatur, virtutesque et dona in sumentibus augeatur. Quod abunde continget, si ii qui devoto huiusmodi studio, divina praestante gratia, tenentur, seque sacratissimo pane frequentius refici cupiunt, suas vires

expendere, seque probare cum timore et caritate assueverint. Quibus Christum Dominum, qui se fidelibus manducandum et pretium in morte tradidit, atque in coelesti regno se praemium est daturus, precamur, ut suam opem ad dignam praeparationem et sumptionem largiatur; Amplitudinemque Tuam, quo in hoc uno maxime incumbere aliaque pastoralia numera explere possit, incolumen tueatur. Romae, 24 ianuarii 1587 [1].

III.

DECRETUM S. CONGR. CONCILII « CIRCA SS. COMMUNIONIS FREQUENTIAM » IUSSU INNOCENTII XI EDITUM.

189. I. Cum ad aures Sanctissimi D. N. fide dignorum testimonio pervenerit in quibusdam Dioecesibus vigere usum quotidianae Communionis, etiam in feria sexta Parascevae, et simul affirmari eamdem quotidianam Communionem praeceptam esse a iure Divino, quin etiam in illius administratione aliquos abusus inolevisse; videlicet, quod aliqui non in Ecclesia, sed in privatis Oratoriis, et Domi, imo cubantes in lecto, et non laborantes ulla gravis infirmitatis nota sumant Sacrosanctam Eucharistiam, quam argentea theca inclusam in crumena, aut secreto illis deferunt Sacerdotes saeculares, aut Regulares; aliique in Communione accipiant plures formas, ac particulas, vel grandiores solito; ac tandem quis confiteatur peccata venialia simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo, aut Ordinario. Cum autem haec Sanctissimus consideranda commiserit S. Congregationi Cardinalium Con-

[1] Anal. iur. pontif. ser. VII, p. 789 sqq.

cilii Tridentini Interpretum, eadem S. Congregatio praevia matura discussione super praedictis unanimi sententia ita censuit:

190. II. Etsi frequens, quotidianusve Sacrosanctae Eucharistiae usus a SS. Patribus fuerit semper in Ecclesia probatus; numquam tamen, aut saepius illam percipiendi, aut ab ea abstinendi, certos singulis mensibus, aut hebdomadis dies statuerunt, quos nec Concilium Tridentinum praescripsit, sed quasi humanam infirmitatem secum reputaret, nihil praecipiens, quid cuperet tantum indicavit, cum inquit: Optaret quidem Sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes Sacramentali Eucharistiae perceptione communicarent; idque non immerito; multiplices enim sunt conscientiarum recessus, variae ob negotia spiritus alienationes, multa e contra gratiae, et Dei dona parvulis concessa: quae cum humanis oculis scrutari non possimus, nihil certe de cuiusque dignitate, atque integritate, et consequenter de frequentiori, aut quotidiano vitalis panis esu potest constitui.

191. III. Et propterea quod ad negociatores ipsos attinet, frequens ad Sacram alimoniam percipiendam accessus, Confessariorum secreta cordis explorantium iudicio est relinquendus, qui ex conscientiarum puritate, et frequentiae fructu, et ad pietatem processu Laicis negotiatoribus, et coniugatis, quod prospicient eorum saluti profuturum, id illis praescribere debebunt.

192. IV. In coniugatis autem hoc amplius animadvertent, cum B. Apostolus nolit eos invicem fraudari, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacent orationi eos serio admoneat, tanto magis ob Sacratissimae Eucharistiae reverentiam continentiae vacandum, puriorique mente ad Coelestium Epularum Communionem esse conveniendum.

193. V. In hoc igitur Pastorum diligentia potissimum

invigilabit, non ut a frequenti, aut quotidiana Sacrae Communionis sumptione unica praecepti formula aliqui deterreantur, aut sumendi dies generaliter constituantur, sed magis quid singulis permittendum per se, aut Parochos, seu Confessarios sibi decernendum putet; illudque omnino provideat, ut nemo a Sacro Convivio seu frequenter, seu quotidie accesserit, repellatur; et nihilominus det operam, ut unusquisque digne pro devotionis, et praeparationis modo, rarius aut crebrius, Dominici Corporis suavitatem degustet.

194. VI. Itidem Moniales quotidie Sacram Communionem petentes admonendae erunt, ut in diebus ex earum Ordinis instituto praestitutis communicent; si quae vero puritate mentis eniteant, et fervore spiritus ita incaluerint, ut dignae frequentiori, aut quotidiana Sanctissimi Sacramenti perceptione videri possint, id illis a Superioribus permittatur.

195. VII. Proderit etiam praeter parochorum, et Confessariorum diligentiam, opera quoque Concionatorum uti, et cum eis constitutum haberi, ut cum fideles ad Sanctissimi Sacramenti frequentiam (quod facere debent) accenderint, statim de magna ad illud sumendum praeparatione orationem habeant, generatimque ostendant, eos qui ad frequentiorem, aut quotidianam salutiferi cibi sumptionem devoto studio excitantur, debere, sive Laici negociatores sint, sive Coniugati, sive quicumque alii, suam agnoscere infirmitatem, ut dignitate Sacramenti, ac Divini iudicii formidine discant Coelestem mensam, in qua Christus est, revereri; et si quando se minus paratos senserint, ab ea abstinere seque ad maiorem praeparationem accingere.

196. VIII. Episcopi autem, in quorum diocesibus viget huiusmodi devotio erga Sanctissimum Sacramentum, pro

illa gratias Deo agant, eamque ipsi, adhibito prudentiae et iudicii temperamento, alere debebunt, et ab eorum officio postulari sibi maxime persuadebunt, nulli labori aut diligentiae parcendum, ut omnis irreverentiae, et scandali suspicio in veri et immaculati Agni perceptione tollatur, virtutesque ac dona in sumentibus augeantur. Quod abunde continget, si ii, qui devoto huiusmodi studio, divina praestante gratia tenentur, seque Sacratissimo Pane frequentius refici cupiunt, suas vires expendere, seque probare cum timore, et charitate assueverint: Quibus Christum Dominum, qui se fidelibus manducandum, et se pretium in morte tradidit, atque in coelesti Regno se praemium est daturus, precatur Sacra Congregatio, ut suam opem ad dignam praeparationem, et sumptionem largiatur.

197. IX. Porro Episcopi, et Parochi, seu Confessarii redarguant asserentes Communionem quotidianam esse de iure divino.

198. X. Doceant in Ecclesiis seu Oratoriis privatis, ex dispensatione, seu Privilegio Pontificis de manu Sacerdotis sumendam Sanctissimam Eucharistiam, nec eam ullo modo deferendam in crumena, aut secreto ad existentes domi, vel cubantes in lecto, quam ad infirmos, qui ad illam suscipiendam ad loca praedicta accedere non valeant, et ad eos, si ab Ecclesia deferatur, publice, et cum pompa iuxta formam Ritualis Romani; si vero ab Oratorio privilegiato, cum forma decenti.

199. XI. Curent etiam, ut circa Communionem in feria sexta Parascevae, Missalis Rubricae, et Ecclesiae Romanae usus serventur.

200. XII. Insuper admoneant nulli tradendas plures Eucharistiae formas, seu particulas, neque grandiores, sed consuetas.

201. XIII. Non permittant, ut venialium confessio fiat simplici Sacerdoti, non approbato ab Episcopo, aut Ordinario.

202. XIV. Si parochi, et Confessarii etiam Regulares, aut quicumque alii Sacerdotes secus egerint, sciant Deo Optimo Maximo rationem reddituros esse, neque defuturam Episcoporum, et Ordinariorum iustam, ac rigorosam animadversionem in contrafacientes, etiam Regulares, etiam Societatis Iesu, facultate ipsis Episcopis, et Ordinariis per hoc Decretum per Sedem Apostolicam specialiter attributa.

XV. Et facta de praemissis omnibus, ac de verbo ad verbum relatione, Sanctitas Sua approbavit, ac praesens Decretum Typis dari ac publicari voluit. In quorum etc. Datum Romae 12 Februarii 1679.

F. Card. COLUMNA, *Praef.*

S. Archiepisc. BRANCACCIUS, Episc. Viterbien., *Secr.*

Die 15 mensis Februarii 1679 supradictum Decretum affixum, et publicatum fuit per Urbem ad valvas Curiae et in acie Campi Florae, ut moris est, per me Aegidium Felicem SS. D. N. PP. Cursorem.

Pro D. Magistro Cursorum, Gregorius Staggius Apost. Curs.

Romae, ex Typographia Reverendae Camerae Apostolicae, MDCLXXIX.

IV.

RELATIO ET DECISIO S. CONGR. CONCILII « DE SUPERIORE CONCEDENTE FREQUENTIORES QUAM PRAESCRIBIT REGULA COMMUNIONES » [1].

203. *1725. Aprilis 14.* — Exhibitus fuit huic S. Congregationi (Concilii) supplex libellus, in quo relatum fuit, praxim invaluisse in Monasteriis Monialium civitatis Ianuensis, tam subiectarum Ordinario quam Regularibus, ut nulla Monialis sacram Eucharistiam sumere valeat extra dies quibus, iuxta Constitutiones, omnes Moniales communicant, nisi accedat consensus Capituli monasterii, quamvis Communio esset petenti permissa aut praescripta a Confessario, quae res vergere dicebatur in desolationem nonnullarum piarum animarum, quae frequentiorem et aliquando quotidianam Eucharistiae sumptionem ex consilio aut praecepto Confessarii desiderant; cumque scriptum fuisset Eminentissimo Ordinario pro informatione, et idem respondisset, quod in aliquibus monasteriis Monialium non poterant singulae Moniales, etiam cum licentia Confessarii, sumere sacram Synaxim extra dies a Constitutionibus vel consuetudine praescriptos, et quod in aliis monasteriis sumptio Eucharistiae extra praedictos dies Monialibus permittebatur annuente Confessario, S. haec C., die 12 februarii 1724, respondit: Quod observaretur Decretum anni 1679, in quo ab hac S. Cong., accedente approbatione Venerabilis Dei servi Innocentii XI, sic resolutum fuit, die 12 februarii eiusdem anni, quoad frequentem Communionem in ordine ad Moniales: *Itidem Monia-*

[1] Cf. Thesaurus resol. Conc. t. III, p. 130 sqq.

les quotidie sacram Communionem petentes admonendae erunt, ut diebus ex earum Ordinis instituto praestitutis communicent. Si quae vero puritate mentis eniteant, et fervore spiritus ita incaluerint, ut dignae frequentiori aut quotidiana SS. Sacramenti perceptione videri possint, id illis a Superioribus permittatur.

204. Delata huius Decreti notitia ad civitatem Ianuensem, incoeperunt nonnullae Moniales Sacram sumere Eucharistiam, etiam extra dies communitati praefixos, absque ulla licentia Confessarii ordinarii et Superiorissae, sed de solo consensu spiritualis Directoris uniuscuiusque Monialis, ita ut Superiorissae nonnullorum monasteriorum coactae fuerint, ad avertenda frequentia incommoda, non amplius retinere apud se clavem parvae fenestrae, per quam Moniales Eucharistiam recipiunt, sed eam relinquere arbitrio Monialium communicare volentium. Admonitaque de hac re S. Congregatione, cum novae datae fuerint Litterae ad Eminentissimum Ordinarium idem respondit quod computatis diebus, qui a Constitutionibus vel a communi consuetudine sunt Monialibus praescripti pro sumenda Communione, eaedem in toto anni decursu vix ab ea abstinent quadraginta aut quinquaginta diebus, et quod in tantum introductum est, quod Moniales communicent extra memoratos dies cum solo consilio aut praecepto Directoris spiritualis cuiuscumque Monialis, et citra consensum aut approbationem Confessarii ordinarii, in quantum nonnulli asseruerunt, quod nomine Superiorum, de quibus in Decreto anni 1679, comprehensi dici debent Directores spirituales uniuscuiusque Monialis, quibus melius quam ceteris innotescit puritas conscientiae, seu fervor spiritus in eodem Decreto requisiti pro frequentiori vel quotidiana perceptione SS. Sacramenti; concluditque idem Ordinarius, necessariam sibi videri praedicti Decreti explicatio-

nem, et an etiam tolerandum sit in futurum, quod Superiorissae clavem parvae fenestrae, per quam sumitur Eucharistia, non amplius apud se retineant, sed relinquant arbitrio Monialium communicare volentium.

205. Decretum anni 1679, quando loquitur de laicis negotiatoribus, ait quod *frequens ad sacram alimoniam percipiendam accessus, Confessariorum secreta cordis explorantium iudicio est relinquendus*, et hoc ipsum statuit quoad coniugatos. Rursus, regulam generalem statuendo, meminit Parochorum seu Confessariorum ibi: *In hoc igitur Pastorum diligentia potissimum invigilabit, non ut a frequenti vel quotidiana sacrae Communionis sumptione, unica praecepti formula, aliqui deterreantur, aut sumendi dies generaliter constituantur, sed magis quid singulis permittendum per se, aut per Parochos, seu Confessarios, sibi decernendum putet.* Quo stante, inferri posse videtur quod, quando idem Decretum loquendo de Monialibus meminit Superiorum: *Id illis a Superioris permittatur*, intelligendum sit, quod frequentior aut quotidiana Communio a Superioribus monasterii permittatur, etiam extra dies statutos a Constitutionibus vel communi consuetudine, sed semper retento themate permissionis seu consilii illius personae, cui puritas mentis et fervor spiritus innotescunt, quae alia non videtur esse posse quam persona Confessarii ordinarii, cui cordis secreta sunt aperta.

206. Haec quoad frequentiorem sacrae Eucharistiae sumptionem; quoad clavem vero, iam a sacris Congregationibus edita fuerunt super ea re Decreta, quod videlicet clavis custodiae SS. Sacramenti non potest Monialibus committi, sed esse debet penes Sacerdotem, ad quem spectat cura illud administrandi ut late prosequuntur; Pellizar., *De Monial.*, cap. 7, q. 4; Tamburin., *De iure abbatiss.*, disput. 24, quaesito 2, num. 5; Barbosa, in Collecta-

neis, in verbo *Monialis*, num. 27; et loquendo de parva fenestra per quam recipitur sacra Eucharistia, iam a S. C. Episcoporum et Regularium resolutum fuit, die 15 septembris 1617, *quod duae adsint ianuae huius parvae fenestrae, una interior et alia exterior, et quod clavis ianuae interioris semper retineatur ab Abbatissa seu Priorissa, et clavis ianuae exterioris a Confessario, et quod parva dicta fenestra nunquam aperiatur, nisi occasione sumptionis Eucharistiae vel dandi habitum seu velum alicui novitiae, aut consecrationem alicui personae in clausura degenti.*

207. His stantibus, dignabuntur EE. VV. decernere:

1. An et de cuius licentia sacram Eucharistiam recipere debeant Moniales, quae eam recipere volunt ultra dies statutos a Constitutionibus vel a consuetudine monasterii, ut in illis omnes Moniales communicent?

2. Quomodo se gerere debeat Superiorissa monasterii circa retentionem clavis parvae fenestrae, per quam sumitur a Monialibus Eucharistia in casu?

S. C. Cong. — Ad 1. De licentia Confessarii et non Directorum, praevia participatione Praelati ordinarii.

Ad 2. Servandum esse Decretum S. C. Ep. et Reg. diei 15 sept. 1617.

Romae, die 14 aprilis 1725.

V.

INSTRUCTIO S. CONGR. DE PROP. FIDE « QUOMODO A CONFESSARIIS SIT MODERANDUS ACCESSUS AD SS. EUCHARISTIAM » [1].

208. *1784. Aprilis 19.* — Ex Instr. S. C. de Prop. F. ad Vic. Ap. Sutchuensem. — Non est hoc loco praetereunda istorum pariter Missionariorum consuetudo, qui nimiae forsitan severitati inhaerentes, nonnullos, quamvis sua crimina confessi ac detestati fuerint, arcendos tamen iudicant a Communione Eucharistica. Nemo profecto inficias iverit, quin antequam quis ad Eucharistiam accedat, praeparatum animum habere oporteat; quae autem, aut qualis huiusmodi praeparatio sit, aptissime docet Catechismus Romanus (*De Sacr. Eucharist.*, n.° 55, 56, 57) quem Missionarii saepius consulent; est enim liber et doctrina et auctoritate caeteris omnibus anteponendus. Praeparatio autem alia est huic Sacramento maxime conveniens ac consentanea, alia vero omnino necessaria, de qua loquitur Apostolus inquiens: *Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat et de calice bibat; qui enim manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit.* Concilium Tridentinum de hac necessaria animi praeparatione disserens, sess. 13, cap. 7, sic inquit: *Quare communicare volenti revocandum est eius praeceptum, scilicet Apostoli: probet autem seipsum homo. Ecclesiastica autem consuetudo declarat eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque prae-*

[1] *Collectanea S. Congr. de Prop. Fide*, t. I, n. 569, p. 353 sq. 2. ed. Romae, 1907.

missa sacramentali Confessione, ad sacram Eucharistiam accedere debeat. In capite vero 8, proxime sequenti, fideles hortatur, *ut panem illum supersubstantialem frequenter suscipiant.* Ac demum, sess. 22, *De sacrificio Missae*, cap. 6, sic loquitur: *Optaret quidem sancta Synodus ut in singulis Missis fideles adstantes, non solum spirituali affectu, sed sacramentali Eucharistiae etiam perceptione communicarent.* Itaque si, ex his simul sumptis sententiis, Tridentinorum Patrum mentem penitus perscrutemur, illud certe exploratum habebimus, illos quidem ab Eucharistica mensa omnino removendos esse qui, peccati mortalis conscientia oppressi, tanto ac tam singulari Dei dono censentur indigni; caeterum frequentem Eucharistiae usum Tridentinos Patres fidelibus suadere, optare imo, ut in singulis Missis adstantes fideles de Eucharistica mensa participes fiant, quod sane non modo optari, sed nec sperari quidem posset, si Eucharistico pane ii solum reficerentur qui ab omni levioris etiam culpae labe immunes essent. Haec si Missionarii tui diligenter perpendant, videbunt profecto num laudanda sit illorum consuetudo, qui pro dignitate Sacramenti Eucharistiae, singulares quasdam et vix sperabiles dispositiones exigunt a fidelibus, longeque maiores quam quae sufficiunt ad absolutionem in sacramento Poenitentiae consequendam. Excitanda certe maior fidelium devotio est, acrius incendendi ad detestationem praeteritorum criminum, quaedam veluti fames ac desiderium vehemens in cibum Eucharisticum excitandum, ut qua maiori possunt reverentia atque pietate suscipiant; verum, quemadmodum corporis vires alimento sustentantur, ita animae languor atque infirmitas cibo hoc spirituali, quo pascimur, depellitur ac roboratur. *Quotidie peccas, quotidie sume*, inquit Augustinus (in sermone *De verb. Apost.*). *Et si quis attenderit diligenter*, subiungit Catechismus Roma-

nus, *omnium Patrum, qui hac de re scripserunt, sententiam eamdem fuisse comperiet.* Neque tamen haec dicta volumus, quasi nulla sit facienda distinctio inter eos qui ad Eucharisticam coenam accedunt, omnesque passim sine diligenti probatione sint admittendi; consilium inde, rationem, iudicium huius probationis animarum Pastoribus committendum esse ultro concedimus. Nec ignoramus, praeter actualia et per se mortifera peccata, inordinatas aliquando cupiditates et vitiosas quasdam habitudines hominum animis alte infixas reperiri, per quas ad pietatis studium desides et ad venialia peccata proclives redditi ad graviora deinde admittenda crimina facile dilabuntur, quibusque extirpandis pii et docti animarum curatores salutaria quandoque medicinalis severitatis remedia adhibenda esse non dubitant. Sed si nimius sit in hac agendi ratione rigor, et si plerosque eorum qui Sacramentalis absolutionis beneficio digni habiti sunt, a Dominica Communione indistincte et sine gravi causa repellantur, non probamus.

VI.

ALIA INSTRUCTIO S. CONGR. DE PROP. FIDE « DE FREQUENTI AD SS. EUCHARISTIAM ACCESSU » [1].

6 iunii 1817. Instructio S. Congr. de Prop. Fide ad Missionarios Provinciae Sutchuens.

209. ... Quoniam vero Sacrosanctum Concilium Tridentinum id optandum proponit (sess. 22, cap. 6) *ut in singulis Missis fideles adstantes... sacramentali etiam Eucharistiae perceptione communicarent*, ac fideles ipsos hor-

[1] *Collect. S. Congr. de Prop. Fide*, l. c. n. 723, p. 425.

tatur eam vitam agere (sess. 13, cap. 8) *ut panem illum supersubstantialem frequenter suscipere possint*: hinc nihil magis esset optandum, quam ut fideles frequenter Sacrae Eucharistiae participes fierent, atque isthic praesertim, ut iis ad persecutiones ferendas vires sufficiant. Hoc supersubstantiali pane primis Ecclesiae seculis Christi athletae quotidie roborabantur, de hoc, quovis die Dominico, etiam agricolae participabant, teste Iustino (Apol. 2) aetatis suae mores describente: *Solis* (seu Dominica) *qui dicitur die, omnium qui vel in oppidis vel ruri degunt conventus fit in eumdem locum... Precibus absolutis, panis offertur, et vinum, et aqua..., et cuique praesenti fit distributio eorum in quibus gratiae sunt actae, eisque quisque communicat, absentibus autem per Diaconos mittitur.*

Non itaque a Sacra Communione arcendi, sed excitandi sunt Christiani, ut Confessionis sacramento frequenter se ad Sacram Communionem disponant. Sacrorum sit Ministrorum probare uniuscuiusque spiritum sanare infirmos, debiles confirmare, ut ad sacram mensam probati accedant. Pateat cuique, quam maxime potest, ad probatos Sacerdotes accessus. Regulae et consuetudines, si quae iam introductae fuerunt hisce Ecclesiae desideriis contrariae, prorsus abrogentur.

VII.

EPISTOLA C. S. EPP. ET REG. AD EPISCOPUM BAIOCENSEM « SUPER FREQUENTIA S. COMMUNIONIS » [1].

210. Si maxime prodest fidelibus omnibus, ut saepe saepius eorum animae a peccatis etiam levioribus per Sacramentum poenitentiae mundentur et Eucharistiae pane reficiantur, optandum profecto est Sanctimoniales Virgines frequenter ad Sacramenta suscipienda accedere ad fovendam charitatem, qua coelesti sponso magis magisque in dies uniri debent. Quapropter S. M. Innocentius XI, in decreto de quotidiana Communione die 12 februarii 1679 edito de Sanctimonialibus quotidie « Sacram Communionem petentes, admonendae erunt, ut in diebus ex earum ordinis instituto praestitutis communicent, si quae vero puritate mentis eniteant, fervore spiritus ita incaluerint, ut dignae frequentiori, aut quotidiana SSm̃i Sacramenti perceptione videri possint, id illis a Superioribus permittatur ».

Haec regula ab Apost. Sede tradita a Superioribus et Confessariis Sanctimonialium prae oculis habenda est, ne ipsi plus aequo faciles, vel rigidiores, non sine animarum detrimento, se praebeant.

211. Cum igitur ad S. C. Episc. et Reg. perlatum sit nonnullos Confessarios ab Innocentii XI praescripto pro libitu recedere, ac monialibus etsi rite dispositis Sacramentalem Confessionem differre, Em̃is PP. expedire visum

[1] Ex *Collectanea in usum Secretariae S. Congreg. Episcoporum et Regularium cura* A. Bizzarri *Archiep. Philippen. Secretarii edita*, Romae, 1885, pag. 87.

est significare Amplitudini Tuae, ut Innocentii XI decretum proponas Superioribus et Confessariis monasteriorum Tuae Dioecesis et praesertim Coenobii Cadomensis, ubi Sanctimoniales Virgines sub regula S. Francisci Salesii Deo Sacrae morantur, ac eisdem Confessariis in memoriam revoces Sacramentalem Confessionem rite dispositis non esse praesertim per modum regulae differendam, ne Sacramentali gratia priventur, licet fortasse nec gravia, nec nova habeant, sed dumtaxat peccata iam per Sacerdotis absolutionem deleta iterum confiteantur: omnibus enim notum est peccata praeterita et veniales culpas esse materiam sufficientem Sacramenti Poenitentiae.

Confidunt igitur Emi Patres Te pro viribus curaturum ne Confessarii in re tanti momenti proprio ingenio indulgeant, sed potius praxim a S. Sede praescriptam sedulo amplectentur ac in administrando Poenitentiae Sacramento minime a regulis recedant, quae probatorum auctorum communi suffragio traditae, et confirmatae sunt.

Haec quidem pro meo munere significare debeo Amplitudini Tuae, cui interim fausta omnia adprecor a Deo. — Kalendis Octobris 1839.

VIII.

SS. RITUUM CONGR. RESPONSIO « CIRCA CONSUETUDINEM QUOTIDIE COMMUNICANDI » [1].

212. Rmus Dominus Franciscus Eduardus Hasley, Archiepiscopus Cameracensis a S. Rit. Congregatione insequentium dubiorum resolutionem humillime expostulavit, nimirum:

Dubium I. Moniales a S. Clara seu Coletinae e Belgico regno in Archidioecesim Cameracen. usum hunc invexerunt, nimirum: Intra parietem qui medius est intra chorum Sororum et Sanctuarium, cellula est prae parata, in qua SS. Eucharistia in ostensorio requiescit. Sacerdote absente, Sorores ostiolum cellulae in choro suo aspiciente aperiunt. Adhuc tamen clausum remanet Sanctissimum Sacramentum solido vitro. Sic piae Sorores statutis horis contemplatione Sanctae Hostiae fruuntur. Quaeritur an talis consuetudo servari possit?

Dubium II. Praedictae Sorores et quaedam aliae, Superiorum ecclesiasticorum auctoritate fultae, *omnes quotidie* sacra Synaxi reficiuntur, licet, iuxta regulas et Theologorum multorum decisiones, pro aliquibus tantum et in quibusdam circumstantiis talis et tanta gratia reservari debeat. Quum vero multo dolore optimae Sorores afficerentur, si tanto solatio orbandae forent, quaeritur quid in casu agendum?

Et Sacra Congregatio Rituum, ad relationem eius-

[1] *Decreta authentica Congr. SS. Rituum.* Romae, 1900, Vol. III, N. 3648, pag. 178.

dem Secretarii, re mature perpensa, ita propositis dubiis rescribere rata est, videlicet:

Ad I. « Piam consuetudinem tolerari posse ».

Ad II. « Consuetudinem laudandam esse ac promovendum usum frequenter suscipiendi Sanctissimam Eucharistiam, iuxta Concilii Tridentini, sess. XIII. cap. 8, dispositionem ».

Atque ita rescripsit die 11 Decembris 1885.

IX.

S. POENITENTIARIAE RESPONSUM « CIRCA COMMUNIONEM QUOTIDIANAM » [1].

Beatissime Pater,

213. Franciscus Eduardus Hasley, Archiepiscopus Cameracensis, ad Sanctitatis Vestrae pedes devotissime provolutus, humiliter postulat sententiam circa sequentem difficultatem.

Moniales a S. Clara seu Coletinae, et quaedam aliae, Superiorum ecclesiasticorum auctoritate fultae, omnes quotidie sacra communione reficiuntur, licet iuxta Regulas et theologorum multorum decisiones pro aliquibus tantum et in quibusdam circumstantiis talis et tanta gratia reservari debeat. Sed multum dolebunt piae Sorores quae hanc consuetudinem summo aestimant pretio. Quid agendum?

S. Poenitentiaria, mature consideratis expositis, respondet: *Laudabilem esse consuetudinem Monialium quo-*

[1] Cf. *Monitore Ecclesiastico*, Vol. V, parte I, pag. 112.

tidie ad Sacram Communionem accedendi; spectare autem ad Confessarium id singulis permittere iuxta regulas a probatis auctoribus traditas et praesertim a S. Alphonso M. de Ligorio.

Datum Romae in S. Poenitentiaria die 19 Novembris 1885.

R. Card. Monaco *P. M.*

X.

S. C. EPP. ET REG. RESPONSUM « CIRCA CALENDARIUM COMMUNIONUM, QUAE SOLENT PRAESCRIBI IN QUIBUSDAM FAMILIIS RELIGIOSIS » [1].

Ad Archiepiscopum Burdigalen.

214. Ex parte officialis istius curiae ecclesiasticae expositum nuper fuit, quod in omnibus fere familiis Religiosis, praescribuntur in Statutis certi dies, quibus omnes ad sacram Communionem accedere debent; et quod multi Communionum catalogum ita intelligunt, quasi nulli sit licitum saepius communicare, etiam de consilio confessarii, nisi accedat quoque formalis consensus superioris vel superiorissae. — Quibus expositis, quaesitum proponit quaenam sit mens Ecclesiae quando approbat haec statuta circa Communionem in familiis Religiosis, an haberi debeant ut *prohibitiva* ne plures fiant communiones; vel *praeceptiva*, ita ut omnes conentur ita vivere ut mereantur ad sacram Communionem accedere saltem in illis diebus.

[1] Cfr. *Monitore Ecclesiastico*, Vol. X, parte I, pag. 171.

Itaque S. haec Congregatio Episcoporum ac Regularium, omnibus perpensis, respondit:

Negative ad 1. partem, at facultatem frequentius ad S. Synaxim accedendi relinquendam esse privative iudicio confessarii, excluso consensu superioris vel superiorissae.

Affirmative ad 2. partem, quoties rationabilis causa non obstet.

4 Augusti 1888.

XI.

CONGREGATIONIS S. OFFICII VARIA RESPONSA « DE ACCESSU AD S. SYNAXIM » [1].

I.

215. In Monitis ad confessarios Puellarum charitatis, revisis an. 1889 a Congregatione Sancti Officii, circa Communionem habetur:

« Ad sacram Synaxim curent accedere diebus a Superiore generali determinatis. Si quae vero puritate mentis eniteant et fervore spiritus ita incaluerint, ut dignae frequentiori aut quotidiana Sanctissimi Sacramenti perceptione videri possint, id illis a Superioribus permittatur, nempe id fiat de licentia confessarii, praevia participatione Superioris vel Visitatoris vel Provincialis ».

Sed cum in diversum interpretarentur illa verba « praevia participatione Superioris etc. », ab Episcopo Suanae, etc. quaesitum est:

I. Participatio, de qua supra, fieri debet, et quo-

[1] Cf. *Monitore Ecclesiastico*, Vol. X, parte II, pag. 184.

modo, a confessario aut a poenitente ad Superiorem; vel fieri dĕbet, et quomodo, a Superiore ad confessarium aut ad poenitentem?

II. Talis participatio fieri aut haberi debet pro communione tantum communiter frequentiori aut quotidiana, vel etiam pro quacumque communione, quae fit praeter dies toti communitati statutos?

III. Huiusmodi participatio fieri aut haberi debet toties quoties, vel semel tantum?

IV. Ista participatio fieri debet singulatim et nominatim, vel generatim?

Feria IV die 2 Iulii 1890.

In Congregatione generali S. Romanae et Universalis Inquisitionis, habita per Emos ac Rmos DD. Cardinales in rebus fidei et morum generales Inquisitores, propositis suprascriptis dubiis ac praehabito DD. Consultorum voto, iidem Emi ac Rmi Patres rescribi mandarunt:

Ad I. Ab ipsa poenitente; et responsionem Superioris haud necessariam esse.

Ad II. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ad III. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

Ad IV. Provisum in praecedentibus.

Facta de his SSmo D. N. Leoni PP. XIII relatione, Sanctitas Sua resolutiones Emorum Patrum approbavit et confirmavit.

I. Mancini, *S. R. et U. Inq. Not.*

2.

216. I. Utrum confessarius Puellarum Charitatis, qui, quantum ad se attinet, curat et permittit ut propriae poenitentes ad sacram Synaxim accedant frequentius, et etiam iuxta mentem Trident., sess. XXII, cap. IV, quoties Missae assistunt, dummodo puritate mentis eniteant, seu respectivas iuxta S. Alphonsum de Ligorio dispositiones habeant, nec propter hoc muneribus proprii officii deficiant, sit inquietandus?

II. Utrum licentia concedendi Communiones *exceptionis* spectet ad confessarium tantum, et Superiori vel Visitatori sola participatio?

Feria IV die 2 Iulii 1890.

In Congregatione generali S. Romanae et Universalis Inquisitionis, habita per Emos et Rmos DD. Cardinales in rebus fidei et morum generales Inquisitores, propositis infrascriptis dubiis, ac praehabito Rmorum Consultorum voto, iidem Emi ac Rmi Patres rescribi mandarunt:

Ad I. Negative.

Ad II. Affirmative.

Facta de his SSmo D. N. Leoni PP. XIII relatione, Sanctitas Sua resolutiones Emorum Patrum approbavit et confirmavit.

I. Mancini, *S. R. et U. Inq. Not.*

XII.

S. C. EPP. ET REG. DECRETUM « CIRCA CONSCIENTIAE APERITIONEM AC FREQUENTIORIS COMMUNIONIS CONCESSIONEM ».

217. Quemadmodum omnium rerum humanarum, quantumvis honestae sanctaeque in se sint: ita et legum sapienter conditarum ea conditio est, ut ab hominibus ad impropria et aliena ex abusu traduci ac pertrahi valeant; ac propterea quandoque fit, ut intentum a legislatoribus finem haud amplius assequantur: imo et aliquando, ut contrarium sortiantur effectum.

Idque dolendum vel maxime est obtigisse quoad leges plurium Congregationum, Societatum aut Institutorum sive mulierum quae vota simplicia aut solemnia nuncupant, sive virorum professione ac regimine penitus laicorum; quandoquiden aliquoties in illorum Constitutionibus conscientiae manifestatio permissa fuerat, ut facilius alumni arduam perfectionis viam ab expertis Superioribus in dubiis addiscerent: e contra, a nonnullis ex his intima conscientiae scrutatio, quae unice Sacramento Poenitentiae reservata est, inducta fuit. Itidem in Constitutionibus ad tramitem SS. Canonum praescriptum fuit, ut Sacramentalis Confessio in huiusmodi Communitatibus fieret respectivis Confessariis ordinariis et extraordinariis aliunde Superiorum arbitrium eo usque devenit, ut subditis aliquem extraordinarium Confessarium denegaverint, etiam in casu quo, ut propriae conscientiae consulerent, eo valde indigebat. Indita denique eis fuit discretionis ac prudentiae norma, ut suos subditos rite recteque quoad peculiares poenitentias ac alia pietatis opera dirigerent;

sed et haec per abusionem extensa in id etiam extitit, ut eis ad Sacram Synaxim accedere vel pro lubitu permiserint, vel omnino interdum prohibuerint. Hinc factum est, ut huiusmodi dispositiones, quae ad spiritualem alumnorum profectum, et ad unitatis pacem et concordiam in Communitatibus servandam fovendamque salutariter ac sapienter constitutae iam fuerant, haud raro in animarum discrimen, in conscientiarum anxietatem, ac insuper in externae pacis turbationem versae fuerint, ceu subditorum recursus et quaerimoniae passim ad S. Sedem interiectae evidentissime comprobant.

Quare SSmus D. N. Leo divina providentia Papa XIII, pro ea qua praestat erga lectissimam hanc sui gregis portionem peculiari sollicitudine, in Audientia habita a me Cardinali Praefecto S. Congregationis Episcoporum et Regularium negotiis et consultationibus praepositae die decimaquarta Decembris 1890, omnibus sedulo diligenterque perpensis, haec quae sequuntur voluit, constituit atque decrevit.

218. I. Sanctitas Sua irritat, abrogat, et nullius in posterum roboris declarat quascumque dispositiones Constitutionum, piarum Societatum, Institutorum mulierum sive votorum simplicium sive solemnium, nec non virorum omnimodo laicorum, etsi dictae Constitutiones approbationem ab Apostolica Sede retulerint in forma quacumque etiam quam aiunt specialissimam, in eo scilicet, quod cordis et conscientiae intimam manifestationem quovis modo ac nomine respiciunt. Ita propterea serio iniungit Moderatoribus ac Moderatricibus huiusmodi Institutorum, Congregationum ac Societatum, ut ex propriis Constitutionibus, Directoriis ac Manualibus praefatae dispositiones omnino deleantur penitusque expungantur. Irritat pariter

ac delet quoslibet ea de re usus et consuetudines etiam immemorabiles.

219. II. Districte insuper prohibet memoratis Superioribus ac Superiorissis, cuiuscumque gradus et praeeminentiae sint, ne personas sibi subditas inducere pertentent directe aut indirecte, praecepto, consilio, timore, minis, aut blanditiis ad huiusmodi manifestationem conscientiae sibi peragendam; subditisque e converso praecipit, ut Superioribus maioribus denuncient Superiores minores, qui eos ad id inducere audeant: et, si agatur de Moderatore vel Moderatrice Generali, denunciatio huic S. Congregationi ab iis fieri debeat.

220. III. Hoc autem minime impedit, quominus subditi libere ac ultro aperire suum animum Superioribus valeant, ad effectum ab illorum prudentia in dubiis ac anxietatibus consilium et directionem obtinendi pro virtutum acquisitione ac perfectionis progressu.

221. IV. Praeterea, firmo remanente quoad Confessarios ordinarios et extraordinarios Communitatum quod a Sacrosancto Concilio Tridentino praescribitur in *Sess. 25, Cap. 10 de Regul.*, et a *S. M. Benedicti XIV* statuitur in Constitutione quae incipit « Pastoralis curae »; Sanctitas Sua Praesules Superioresque admonet, ne extraordinarium denegent subditis Confessarium, quoties ut propriae conscientiae consulant ad id subditi adigantur, quin iidem Superiores ullo modo petitionis rationem inquirant, aut aegre id ferre demonstrent. Ac ne evanida tam provida dispositio fiat, Ordinarios exhortatur, ut in locis propriae Dioeceseos, in quibus Mulierum Communitates existunt, idoneos Sacerdotes facultatibus instructos designent, ad quos pro Sacramento Poenitentiae recurrere eae facile queant.

222. V. Quod vero attinet ad permissionem vel prohibi-

tionem ad sacram Synaxim accedendi, Eadem Sanctitas Sua decernit, huiusmodi permissiones vel prohibitiones dumtaxat ad Confessarium ordinarium vel extraordinarium spectare, quin Superiores ullam habeant auctoritatem hac in re sese ingerendi, excepto casu quo aliquis ex eorum subditis post ultimam Sacramentalem Confessionem Communitati scandalo fuerit, aut gravem externam culpam patraverit donec ad Poenitentiae sacramentum denuo accesserit.

223. VI. Monentur hinc omnes, ut ad Sacram Synaxim curent diligenter se praeparare et accedere diebus in propriis regulis statutis; et quoties ob fervorem et spiritualem alicuius profectum Confessarius expedire iudicaverit ut frequentius accedat, id ei ab ipso Confessario permitti poterit. Verum qui licentiam a Confessario obtinuerit frequentioris ac etiam quotidianae Communionis, de hoc certiorem reddere Superiorem teneatur; quod si hic iustas gravesque causas se habere reputet contra frequentiores huiusmodi Communiones, eas Confessario manifestare teneatur, cuius iudicio acquiescendum omnino erit.

224. VII. Eadem Sanctitas Sua insuper mandat omnibus et singulis Superioribus Generalibus, Provincialibus et Localibus Institutorum de quibus supra sive virorum sive mulierum, ut studiose accurateque huius Decreti dispositiones observent, sub poenis contra Superiores Apostolicae Sedis mandata violantes ipso facto incurrendis.

225. VIII. Denique mandat, ut praesentis Decreti exemplaria in vernaculum sermonem versa inserantur Constitutionibus praedictorum piorum Institutorum, et saltem semel in anno, stato tempore in unaquaque Domo, sive in publica mensa, sive in Capitulo ad hoc specialiter convocato, alta et intelligibili voce legantur.

Et ita Sanctitas Sua constituit atque decrevit, contrariis quibuscumque etiam speciali et individua mentione dignis minime obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria memoratae S. Congregationis Episcoporum et Regularium, die 17 Decembris 1890.

I. Card. VERGA, *Praefectus.*

Fr. ALOYSIUS Episc. Callinicen., *Secret.*

XIII.

S. C. EPP. ET REG. RESPONSA « CIRCA DECRETI *QUEMADMODUM* INTELLIGENTIAM » [1].

Beatissime Pater,

226. In Decreto a S. Congregatione Episcoporum et Regularium die 17 Decembris praeteriti anni 1890 edito, haec verba leguntur: « Sanctitas sua Praesules Superioresque admonet, ne extraordinarium denegent Confessarium quoties ut propriae conscientiae consulant ad id subditi adigantur, quin iidem Superiores ullo modo petitionis rationem inquirant, aut aegre ferre demonstrent ». Quibus verbis haec subsequuntur: « At ne evanida tam provida dispositio fiat, Ordinarios exhortatur, ut in locis propriae Dioeceseos, in quibus mulierum Communitates existunt, idoneos Sacerdotes facultatibus instructos designent, ad quos pro sacramento Poenitentiae recurrere eae facile queant ». Omnibus perpensis, necnon

[1] Cf. *Monitore Ecclesiastico*, Vol. VII, parte II, pag. 70.

sanctae Apostolicae Sedis patefacto proposito nullum infligendi vulnus disciplinae de Confessariis ordinario et extraordinario, Episcopo Malacitano sequentia eveniunt dubia, quae ipse sacrae Congregationi solvenda submittit.

I. Quis sub nomine Praesulis vel Superioris, cuius est subditis concedere vel denegare Confessarium extraordinarium, intelligitur? An ipse qui ordinarium Confessarium deputavit, vel potius qui domui praeest, sive vir sit, sive femina?

II. Cum ex Decreto Superior, quicumque sit, nequeat Confessarium extraordinarium denegare, immo nec aegre se ferre petitionem demonstrare, teneturne subditi precibus semper indulgere, quamvis plane videat necessitatem esse fictam, et vel scrupulis, vel alio mentis defectu, ut veram ab ipso petenti apprehensam?

III. Praesul, qui ex dictis Confessarium extraordinarium subdito concedit, designare debet in unoquoque casu nominatim personam ipsius Confessarii, vel idem Religiosus eligere poterit, inter diversos ab Ordinario deputatos, qui hoc sibi munus impleat?

In eodem allato Decreto hoc praeceptum invenitur: « Quoties ob fervorem et spiritualem alicuius profectum Confessarius expedire iudicaverit, ut frequentius quam diebus statutis in propriis regulis accedat Religiosus ad sacram Synaxim, id et ab ipso Confessario permitti poterit ».

Cum vero in pluribus Constitutionibus, Apostolica Sede approbatis, non tantum certae statuantur dies ut Religiosi ad sacram mensam accedant, verum explicite vetetur ne ultra praefatas dies ipsi Religiosi Communionem accipiant, veluti de Monialibus Discalceatis Sanctae Mariae de Monte Carmelo constat, sequens oritur dubium:

Utrum Constitutiones quarumdam Familiarum religiosarum, quibus vetatur ne Moniales sive Religiosi Sacram Eucharistiam recipiant ultra certas et statutas dies, abrogatae fuerint in hoc capite Decreto 17 Decembris 1890, ita ut eis non obstantibus liceat Confessario frequentiorem accessum suis Religiosis poenitentibus concedere, vel adhuc post memoratum Decretum in vigore maneant?

Et Deus, etc.

Sacra Congregatio Emorum Rmorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, propositis dubiis respondendum censuit prout respondet:

Ad primum: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Ad secundum: Affirmative; sed subditi moneantur non posse extraordinarios Confessarios petere, nisi ad id adigantur ut propriae conscientiae consulant.

Ad tertium: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Quo vero ad postremum dubium, quod frequentiorem ad S. Synaxim accessum quam diebus statutis in propriis regulis respicit, abrogatas censendas esse Constitutiones, quibus vetatur, ne Moniales sive Religiosi Sacram Eucharistiam recipiant ultra certos et statutos dies.

Romae, 17 Augusti 1891.

I. Card. VERGA, *Praefectus.*

Fr. ALOYSIUS, Episc. Callinicen., *Secret.*

XIV.

SS. DOMINI LEONIS PP. XIII. F. R. EPISTOLA ENCYCLICA « DE SANCTISSIMA EUCHARISTIA » [1].

AD PATRIARCHAS PRIMATES ARCHIEPISCOPOS EPISCOPOS
ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS
PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES.

LEO PP. XIII.

VENERABILES FRATRES

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

227. Mirae caritatis in hominum salutem exempla, quae a Iesu Christo praelucent, Nos quidem pro sanctitate officii inspicere et persequi adhuc studuimus, ad extremumque vitae spiritum, ipso opitulante, studebimus. Nam tempora nacti nimis acriter veritati et iustitiae infensa, quantum erat in Nobis, docendo, admonendo, agendo, prout nuperrima ad vos epistola Apostolica confirmavit, nequaquam intermisimus ea late praestare, quae sive ad multiplicem errorum contagionem depellendam, sive ad nervos intendendos christianae vitae aptius conducere viderentur. In his autem duo sunt recentioris memoriae, omnino inter se coniuncta, unde Nosmetipsi opportunae consolationis fructum, tot prementibus aegritudinis causis, recolendo percipimus. Alterum, quum optimum factu censuimus augusto Cordi Christi Redemptoris universitatem humani generis peculiari ritu devoveri; alterum, quum omnes christianum nomen profitentes gravissime hortati

[1] Acta Leonis XIII, t. XXII p. 115 sqq. ed. Vatican. 1903.

sumus, ut Ei ipsi adhaererent, qui vel singulis vel iure sociatis *via, veritas, vita* divinitus est. — Nunc vero eadem ipsa, advigilante in Ecclesiae tempora, Apostolica caritate movemur ac prope impellimur ut aliud quiddam ad ea proposita iam confecta, tamquam perfectionem suam addamus, ut videlicet christiano populo maiorem in modum commendemus sanctissimam EUCHARISTIAM, quippe donum divinissimum ex intimo plane Corde prolatum eiusdem Redemptoris, *desiderio desiderantis* singularem huiusmodi cum hominibus coniunctionem, maximeque factum ad saluberrimos fructus redemptionis eius dilargiendos. Quamquam in hoc etiam rerum genere nonnulla vel antehac Nos auctoritate et studio curavimus. Iucundumque memoratu est inter cetera legitima Nos comprobatione ac privilegiis auxisse Instituta et Sodalitia non pauca, divinae Hostiae perpetua vice adorandae addicta; operam item dedisse ut conventus eucharistici digna cum celebritate parique utilitate haberentur; iisdem praeterea similisque causae operibus patronum caelestem attribuisse Paschalem Baylon, qui mysterii eucharistici cultor extitit insigniter pius. — Itaque, Venerabiles Fratres, de hoc ipso mysterio in quo tuendo illustrandoque constanter tum Ecclesiae sollertia, non sine praeclaris Martyrum palmis, elaboravit, tum praestantissimorum hominum doctrina, eloquentia variaeque artes splendide contenderunt, libet capita quaedam alloquendo complecti: idque ut apertior atque expressior patescat eiusdem virtus, qua maxime parte se dat praesentissimam hisce necessitatibus temporum allevandis. Sane, quandoquidem Christus Dominus sub excessum mortalis cursus istud reliquit caritatis immensae in homines monumentum, idemque praesidium maximum *pro mundi*

vita [1], nihil Nobis de vita proxime cessuris optare felicius possumus quam ut liceat excitare in omnium animis atque alere memoris gratiae debitaeque religionis affectum erga Sacramentum mirabile, in quo salutis et sollicitis pacis omnium studiis quaesitae, spem atque efficientiam maxime niti arbitramur.

228. Quod saeculo, usquequaque perturbato et laboranti tam misere, talibus Nos remediis adiumentisque ducimus praecipue consulendum, non deerunt sane qui demirentur, et fortasse qui dicta Nostra procaci cum fastidio accipiant. Id nempe est potissimum a superbia: quo vitio animis insidente, elanguescat in iis christiana fides, quae obsequium vult mentis religiosissimum, necesse est, atque ideo caligo de divinis rebus tetrius incumbat; ut in multos illud cadat: *Quaecumque ignorant, blasphemant* [2]. Iam vero tantum abest ut Nos propterea ab inito avocemur consilio, ut certum sit contentiore potius studio et recte animatis lumen afferre et sancta vituperantibus veniam a Deo, fraterna piorum imploratione, exorare.

229. Sanctissimae Eucharistiae virtutem integra fide nosse qualis sit, idem enimvero est ac nosse quale sit opus quod humani generis causa Deus, homo factus, potenti misericordia perfecit. Nam ut est fidei rectae Christum profiteri et colere summum effectorem salutis nostrae, qui sapientia, legibus, institutis, exemplis, fusoque sanguine omnia instauravit; aeque est eumdem profiteri colere sic in Eucharistia reapse praesentem, ut verissime inter homines ad aevi perpetuitatem ipse permaneat, iisque partae redemptionis beneficia magister et pastor bonus, peracceptusque deprecator ad Patrem, perenni

[1] Ioan. VI, 52.
[2] Iudae 10.

copia de semetipso impertiat. — Beneficia porro ex Eucharistia manantia qui studiose religioseque consideret, illud sane praestare atque eminere intelliget quo cetera quae cumque sunt continentur; ex ipsa nempe vitam in homines, quae vere vita est, influere: *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita* [1]. — Non uno modo, quod alias docuimus, Christus est *vita;* qui adventus sui inter homines causam professus est eam, ut afferret ipsis certam vitae plus quam humanae ubertatem: *Ego veni ut vitam habeant, et abundantius habeant* [2]. Statim namque ut in terris *benignitas et humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei* [3], nemo quidem ignorat vim quamdam continuo erupisse ordinis rerum prorsus novi procreatricem, eamque in venas omnes societatis civilis et domesticae permanasse, Novas inde homini cum homine necessitudines; nova publice et privatim iura, nova officia; institutis, disciplinis, artibus novos cursus: quod autem praecipuum, hominum animos et studia ad veritatem religionis sanctitatemque morum traducta; atque adeo vitam homini communicatam, caelestem plane ac divinam. Huc nimirum ea spectant, quae crebro in sacris litteris commemorantur, *lignum vitae*, *verbum vitae*, *liber vitae*, *corona vitae*, nominatimque *panis vitae.*

230. At vero, quoniam haec ipsa de qua dicimus vita expressam habet similitudinem cum vita hominis naturali, sicut altera cibo alitur atque viget, ita alteram sustentari cibo suo et augeri oportet. Apte hic facit revocare quo quidem Christus tempore ac modo moverit animos hominum et adduxerit ut panem vivum, quem daturus erat, convenienter probeque exciperent. Ubi enim manavit fama

[1] Ioan. VI, 52.
[2] Ib. X, 10.
[3] Tit. III, 4.

de prodigio quod illé, multiplicatis panibus in satietatem multitudinis, patraverat ad litus Tiberiadis, confestim plures ad ipsum confluxerunt, si forte par sibi obtingeret beneficium. Tum Iesus, opportunitate arrepta, similiter ac quum feminae Samaritanae, ab haurienda puteali aqua, sitim ipse iniecerat *aquae salientis in vitam aeternam* [1], cupidae multitudinis sic erigit mentes, ut panem alium cupidius appetant *qui permanet in vitam aeternam* [2]. Neque vero huiusmodi panis, instat Iesus admonere, est manna illud caeleste, quod patribus vestris per deserta peregrinantibus praesto fuit; neque ille quidem ipsi nuper a me mirabundi accepistis; verum egomet sum panis iste: *Ego sum panis vitae* [3]. Idemque eo amplius suadet omnibus, et invitando et praecipiendo: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum; et panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita* [4]. Gravitatem porro praecepti ita ipse convincit: *Amen amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis* [5]. Absit igitur pervagatus ille error perniciosissimus opinantium Eucharistiae usum ad eos fere amandandum esse, qui vacui curis angustique animo conquiescere instituant in quodam vitae religiosioris proposito. Ea quippe res, qua nihil sane nec excellentius nec salutarius, ad omnes omnino, cuiuscumque demum muneris praestantiaeve sint, attinet, quotquot velint (neque unus quisquam non velle debet) divinae gratiae in se fovere vitam, cuius ultimum est adeptio vitae cum Deo beatae.

[1] Ioan. IV, 14.
[2] Ib. VI, 27.
[3] Ioann. VI, 48.
[4] Ib. 52.
[5] Ib. 54.

231. Atque utinam de sempiterna vita recte reputarent et providerent ii potissimum, quorum vel ingenium vel industria vel auctoritas tantopere possunt ad res temporum atque hominum dirigendas. At vero videmus deploramusque ut plerique cum fastu existiment se novam veluti vitam eamque prosperam saeculo indidisse, propterea quod ipsum ad omne genus utilia et mirabilia inflammato cursu contendere suo impulso urgeant. Sed enim, quocumque aspexeris, humana societas, si a Deo aliena, potius quam quaesita fruatur tranquillitate rerum, perinde angitur et trepidat ut qui febri aestuque iactatur; prosperitati dum anxie studet eique unice fidit, fugientem sequitur, inhaeret labenti. Homines enim et civitates ut necessario ex Deo sunt, ita in alio nullo vivere, moveri, efficere boni quidquam, nisi in Deo per Iesum Christum queunt; per quem late profluxerunt et profluunt optima quaeque et lectissima. — Sed horum omnium fons et caput bonorum est potissimum augusta Eucharistia: quae quum eam alat sustentetque vitam cuius ex desiderio tam vehementer laboramus, tum dignitatem humanam quae tanti nunc fieri videtur, immensum auget. Nam quid maius aut optabilius, quam effici, quoad eius fieri possit, divinae participem consortemque naturae? At enim hoc nobis Christus praestat in Eucharistia maxime qua evectum ad divina, gratiae munere, hominem arctius etiam sibi adiungit et copulat. Id enim interest inter corporis cibum et animi, quod ille in nos convertitur, hic nos in se convertit; qua de re Christum ipsum Augustinus loquentem inducit: *Nec tu me in te mutabis sicut cibum carnis tuae, sed tu mutaberis in me* [1].

[1] Conf. l. VII, c. X.

232. Ex hoc autem praecellentissimo Sacramento, in quo potissime apparet quemadmodum homines in divinam inseruntur naturam, iidem habent in omni supernarum virtutum genere incrementa maxima. Et primum in fide. Omni quidem tempore fides oppugnàtores habuit; nam etsi hominum mentes praestantissimarum rerum cognitione extollit, quia tamen quae supra naturam esse aperuit, qualia sint celat, eo videtur mentes ipsas deprimere. Sed olim tum hoc tum illud fidei caput oppugnabatur; deinceps multo latius exarsit bellum, eoque iam perventum est ut nihil omnino supra naturam esse affirmetur. Iamvero ad vigorem fervoremque fidei in animis redintegrandum perapte est, ut nihil magis, mysterium Eucharisticum proprie *mysterium fidei* appellatum: hoc nimirum uno, quaecumque supra naturam sunt, singulari quadam miraculorum copia et varietate, universa continentur: *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus, escam dedit timentibus se* [1]. Si Deus enim quidquid supra naturam fecit, ad Verbi retulit Incarnationem, cuius beneficio restitueretur humani generis salus secundum illud Apostoli: *Proposuit.... instaurare omnia in Christo, quae in caelis, et quae in terra sunt in ipso* [2]; Eucharistia Patrum sanctorum testimonio, Incarnationis continuatio quaedam et amplificatio censenda est. Siquidem per ipsam incarnati Verbi substantia cum singulis hominibus copulatur; et supremum in Calvaria sacrificium admirabili modo renovatur; id quod praesignificavit Malachias: *In omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda* [3]. Quod miraculum, unum omnium in suo genere maximum, miracula comitantur innumerabilia; hic

[1] Ps. CX, 4-5.
[2] Eph. I, 9-10.
[3] I, 11.

enim omnes naturae leges intermissae: tota substantia panis et vini in corpus et sanguinem Christi convertitur; panis et vini species, nulla re subiecta, divina virtute sustentantur: corpus Christi tam multa simul loca nanciscitur quam multis simul in locis Sacramentum perficitur. Humanae autem rationis quo magis erga tantum Mysterium intendatur obsequium, quasi adiumento suppetunt prodigia, in eiusdem gloriam, veteri memoria et nostra patrata; quorum publica exstant non uno loco eaque insignia monumenta. Hoc igitur Sacramento videmus fidem ali, mentem enutriri, rationalistarum commenta dilui, ordinem rerum quae supra naturam sunt maxime illustrari.

233. Sed ut divinarum rerum fides languescat, non modo superbia, quod supra attigimus, sed etiam depravatio facit animi. Nam si usu venit ut quo melius quisque est moratus, eo sit ad intelligendum sollertior, corporis autem voluptatibus mentes obtundi ipsa ethnica dispexit prudentia, divina sapientia praemonuit [1]; tanto magis in divinis rebus voluptates corporis obscurant fidei lumen, atque etiam, per iustam Dei animadversionem, exstinguunt. Quarum quidem voluptatum insatiabilis hodie cupiditas flagrat, omnesque late tamquam contagio quaedam morbi vel a primis aetatulis inficit. Verum teterrimi huius mali praeclarum in divina Eucharistia praesto est remedium. Nam, omnium primum, augendo caritatem, libidinem coercet; ait enim Augustinus: *Nutrimentum eius (caritatis) est imminutio cupiditatis; perfectio, nulla cupiditas* [2]. Praeterea castissima Iesu caro carnis nostrae insolentiam comprimit, ut Cyrillus monuit Alexandrinus: *Christus enim exsistens in nobis sopit saevientem in nostris*

[1] Sap. I, 4.

[2] De diversis quaestionibus LXXXIII, quaest. XXXVI.

membris carnis legem [1]. Quin etiam fructus Eucharistiae singularis et iucundissimus est quem significavit propheticum illud: *Quid bonum eius* (Christi) *est, et quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum et vinum germinans virgines?* [2] videlicet sacrae virginitatis forte et constans propositum, quod, vel diffluente deliciis saeculo, latius in dies uberiusque in catholica Ecclesia florescit: quanto quidem ubique cum religionis ipsiusque humani convictus emolumento et ornamento est probe cognitum. — Accedit quod huiusmodi Sacramento spes bonorum immortalium, fiducia auxiliorum divinorum, mirifice roboratur. Beatitatis enim studium, quod omnium animis insitum atque innatum est, terrestrium bonorum fallacia, iniusta flagitiosorum hominum vi, ceteris denique corporis animique molestiis magis magisque acuitur. Iam vero augustum Eucharistiae Sacramentum, beatitatis et gloriae causa idem et pignus est, idque non animo tantum sed etiam corpori. Quum enim animos caelestium bonorum copia locupletat, tum iis perfundit suavissimis gaudiis, quae quamlibet hominum aestimationem et spem longe superent; in adversis rebus sustentat, in virtutis certamine confirmat, in vitam custodit sempiternam, ad eamque tamquam instructo viatico perducit. Corpori autem caduco et fluxo Hostia illa divina futuram ingenerat resurrectionem; siquidem corpus immortale Christi semen inserit immortalitatis, quod aliquando erumpat. Utrumque istud et animo et corpori bonum inde obventurum Ecclesia omni tempore docuit, Christo obsecuta affirmanti: *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam: et ego resuscitabo eum*

[1] Lib. IV, c. 2 in Ioan. VI, 57.
[2] Zach. IX, 17.

in novissimo die [1]. — Cum re cohaeret magnique interest id considerare, ex Eucharistia, quippe quae a Christo instituta sit tamquam *passionis suae memoriale perenne* [2], christiano homini castigandi salutariter sui denunciari necessitatem. Iesus enim primis illis sacerdotibus suis: *Hoc facite*, inquit, *in meam commemorationem* [3], idest hoc facite ad commemorandos dolores, aegritudines, angores meos, meam in cruce mortem. Quapropter huiusmodi sacramentum idem et sacrificium assidua est in omne tempus poenitentiae ac maxime cuiusque laboris adhortatio, itemque voluptatum, quas homines imprudentissimi tantopere laudant et efferunt, gravis et severa improbatio: *Quotiescumque manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat* [4].

234. Praeter haec, si in praesentium malorum causas diligenter inquiras, ea reperies inde fluxisse, quod hominum inter ipsos caritas, caritate adversus Deum frigescente, deferbuerit. Dei se esse filios atque in Iesu Christo fratres obliti sunt; nihil, nisi sua quisque, curant; aliena non modo negligunt, sed saepe oppugnant in eaque invadunt. Inde crebrae inter civium ordines turbae et contentiones: arrogantia, asperitas, fraudes in potentioribus; in tenuioribus miseriae, invidiae, secessiones. Quibus quidem malis frustra a providentia legum, a poenarum metu, a consiliis humanae prudentiae quaeritur sanatio. Illud est curandum enitendumque, quod plus semel Ipsi fusiusque commonuimus, ut civium ordines mutua inter se concilientur officiorum coniunctione, quae a Deo profecta, opera edat germanum Iesu Christi spiritum et caritatem

[1] Ioan. VI, 55.
[2] S. Thomas Aquin. opusc. LVII, *Offic. de festo Corp. Christi.*
[3] Luc. XXII, 19.
[4] I Cor. XI, 26.

referentia. Hanc terris Christus intulit, hac omnia inflammari voluit, utpote quae una posset non modo animae sed etiam corpori beatitatis aliquid vel in praesens afferre: amorem enim immoderatum sui in homine compescit et divitiarum cohibet cupiditatem, quae *radix omnium malorum est* [1]. Quamquam vero rectum est omnes iustitiae partes inter ordines civium convenienter tutari; praecipuo tamen caritatis praesidio et temperamento id demum assequi licebit ut in hominum societate salutaris ea quam Paulus suadebat, *fiat aequalitas* [2], facta conservetur. Hoc igitur Christus voluit, quum augustum hoc Sacramentum institueret, excitanda caritate in Deum, mutuam inter homines fovere caritatem. Haec enim ex illa, et sua veluti sponte effunditur: neque vero fieri potest ut ulla ex parte desideretur, quin immo incendatur et vigeat oportet, si Christi erga ipsos caritatem perpendant in hoc Sacramento; in quo, ut potentiam suam et sapientiam magnifice patefecit, sic *divitias divini sua erga homines amoris velut effudit* [3]. Tam insigni ab exemplo Christi, omnia sua nobis largientis, sane quantum ipsi inter nos amare atque adiuvare debemus, fraterna necessitudine quotidie arctius devincti! Adde quod vel signa ipsa, quibus huiusmodi constat Sacramentum, peropportuna coniunctionis incitamenta sunt. Qua de re sanctus Cyprianus: *Denique unanimitatem christianam firma sibi atque inseparabili caritate connexam etiam ipsa dominica sacrificia declarant. Nam quando Dominus corpus suum panem vocat de multorum granorum adunatione congestum, populum nostrum quem portabat indicat adunatum: et quando sanguinem suum vinum appellat de botris atque*

[1] I Tim. VI, 10.
[2] II Cor. VIII, 14.
[3] Conc. Trid. sess. XIII, *De Euchar.* c. II.

acinis plurimis expressum atque in unum coactum, gregem item nostrum significat commixtione adunatae multitudinis copulatum [1]. Similiter Angelicus Doctor ex Augustini sententia [2] haec habet: *Dominus noster corpus et sanguinem suum in eis rebus commendavit, quae ad unum aliquid rediguntur ex multis; namque aliud, scilicet panis ex multis granis in unum constat, aliud, scilicet vinum in unum ex multis acinis confluit; et ideo Augustinus alibi dicit: O Sacramentum pietatis, o signum unitatis, o vinculum caritatis* [3]. Quae omnia confirmantur Concilii reliquisse « tamquam symbolum eius unitatis et caritatis, qua Christianos omnes inter se coniunctos et copulatos esse voluit..... symbolum unius illius corporis, cuius ipse caput exsistit, cuique nos, tamquam membra, arctissima fidei, spei et caritatis connexione adstrictos esse voluit » [4]. Idque edixerat Paulus: *Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus* [5]. Illud enimvero pulcherrimum ac periucundum est christianae fraternitatis aequalitatisque socialis specimen, promiscue ad sacra altaria circumfundi patritium et popularem, divitem et pauperem, doctum et indoctum, eiusdem aeque participes convivii caelestis. — Quod si merito in Ecclesiae fastis hoc primordiis eius vertitur propriae laudi quod *multitudinis credentium erat cor unum et anima una* [6]; sane eos tam eximium bonum debuisse consuetudini mensae divinae, obscurum non est; de ipsis enim commemoratum legimus: *Erant perseverantes in doctrina Aposto-*

[1] Ep. 69, ad Magnum n. 5 (al. 6).
[2] Tract. XXVI, in Ioan. n. 13, 17.
[3] *Summa theol.* III p., q. LXXIX, a. 1.
[4] Sess. XIII, *De Euchar.* c. II.
[5] I Cor. X, 17.
[6] Act. IV, 32.

lorum et in communicatione fractionis panis [1]. — Mutuae praeterea inter vivos caritatis gratia, cui a Sacramento eucharistico tantum accedit roboris et incrementi, Sacrificii praesertim virtute ad omnes permanat qui in sanctorum communione numerantur. Nihil est enim aliud sanctorum communio, quod nemo ignorat, nisi mutua auxilii, expiationis, precum, beneficiorum communicatio inter fideles vel caelesti patria potitos vel igni piaculari addictos vel adhuc in terris peregrinantes, in unam coalescentes civitatem, cuius caput Christus, cuius forma caritas. Hoc autem fide est ratum, etsi soli Deo Sacrificium augustum offerri liceat, tamen etiam honori Sanctorum in caelis cum Deo regnantium, *qui illos coronavit*, celebrari posse ad eorum patrocinium nobis conciliandum atque etiam, ut ab Apostolis traditum, ad labes fratrum abolendas, qui iam in Domino mortui, nondum plane sint expiati. — Sincera igitur caritas quae, in salutem utilitatesque omnium, omnia facere et pati assuevit, prosilit nempe ardetque actuosa ex sanctissima Eucharistia, ubi Christus adest ipse vivus, ubi suo erga nos amori vel maxime indulget divinaeque impulsus caritatis impetu suum perpetuo sacrificium instaurat. Ita facile apparet undenam hominum apostolicorum ardui labores, unde tam multae variaeque apud catholicos institutae benemerendi de humana familia rationes sua ducant auspicia, vires, constantiam, felicesque exitus.

235. Haec, pauca quidem in re perampla minime dubitamus quin abunde frugifera christiano gregi accidant, si opera vestra, Venerabiles Fratres, sint opportune exposita et commendata. At vero tam magnum et virtute omni affluens Sacramentum nemo satis unquam, proinde ac di-

[1] Act. II, 42.

gnum est, nec eloquendo laudaverit, nec venerando coluerit. Ipsum sive pie mediteris, sive rite adores, sive eo magis pure sancteque percipias, tamquam centrum existimandum est in quo christiana vita, quanta usquam est, insistit; ceteri quicumque habentur, pietatis modi demum in id ipsum conducunt et desinunt. Atque ea Christi benigna invitatio benigniorque promissio: *Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos* [1], in hoc praecipue mysterio evenit et quotidie impletur. — Ipsum denique est velut anima Ecclesiae, ad quod ipsa sacerdotalis gratiae amplitudo per varios ordinum gradus dirigitur. Indidemque haurit habetque Ecclesia omnem virtutem suam et gloriam, omnia divinorum charismatum ornamenta, bona omnia: quae propterea summam curarum in eo collocat ut fidelium animos ad intimam cum Christo coniunctionem per Sacramentum Corporis et Sanguinis eius instruat et adducat: ob eamque rem caeremoniis sanctissimis ipsum ornando facit venerabilius. — Perpetuam hoc etiam in genere providentiam Ecclesiae matris ea praeclarius commendat hortatio, quae in sacro Tridentino Concilio edita est, mirificam quamdam caritatem pietatemque redolens, plane digna quam populus christianus a Nobis accipiat ex integro revocatam: « Paterno affectu « admonet Sancta Synodus, hortatur, rogat et obsecrat « per viscera misericordiae Dei nostri, ut omnes et singuli, « qui christiano nomine censentur, in hoc unitatis signo, « in hoc vinculo caritatis, in hoc concordiae symbolo iam « tandem aliquando conveniant et concordent, memores- « que tantae maiestatis, et tam eximii amoris Iesu Christi « Domini nostri, qui dilectam animam suam in nostrae « salutis pretium, et carnem suam nobis dedit ad man-

[1] Matth. XI, 28.

« ducandum, haec sacra mysteria corporis et sanguinis « eius ea fidei constantia et firmitate, ea animi devotione « ac pietate et cultu credant et venerentur, ut panem illum « supersubstantialem frequenter suscipere possint, et is « vere eis sit animae vita et perpetua sanitas mentis; « cuius vigore confortati, ex huius miserae peregrinationis « itinere ad caelestem patriam pervenire valeant, eumdem « panem Angelorum, quem modo sub sacris velaminibus « edunt, absque ullo velamine manducaturi » [1]. — Porro testis historia est, christianae vitae cultum vulgo floruisse melius, quibus temporibus esset Eucharistiae perceptio frequentior. Contra non minus est exploratum consuevisse, ut quum caelestem panem negligerent homines et veluti fastidirent, sensim elanguesceret christianae professionis vigor. Qui quidem ne prorsus aliquando deficeret, opportune cavit in Concilio Lateranensi Innocentius III, quum gravissime praecepit, ut minimum per sollemnia Paschatis nemo christianus a communione Dominici Corporis abstineret. Liquet vero praeceptum huiusmodi aegre datum, ac postremi remedii loco: semper enim id fuit Ecclesiae in votis, ut cuique sacro adessent fideles de divina hac mensa participes. « Optaret sacrosanta Synodus ut in sin- « gulis Missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, « sed sacramentali etiam Eucharistiae perceptione com- « municarent, quo ad eos sanctissimi huius sacrificii fructus « uberior proveniret » [2].

236. Et uberrimam quidem salutis copiam non singulis modo sed universis hominibus paratam hoc habet augustissimum mysterium, ut est Sacrificium: ab Ecclesia propterea *pro totius mundi salute* assidue offerri solitum. Cuius

[1] Sess. XIII, *De Euchar.*, c. VIII.
[2] Conc. Trid. sess. XXII, c. VI.

sacrificii, communibus priorum studiis, fieri ampliorem cum existimatione cultum addecet; hac aetate vel maxime, oportet. Itaque multiplices ipsius virtutes sive latius cognosci sive attentius recoli velimus. — Principia lumine ipso naturae perspicua illa sunt: supremum esse absolutumque in homines, privatim publice, Dei creatoris et conservatoris imperium; quidquid sumus, quidquid privatim publiceque habemus boni, id omne a divina largitate profectum: vicissimque a nobis Deo testandam et summam, ut Domino, reverentiam, et maximam, ut beneficentissimo, gratiam. Haec tamen officia quotusquisque hodie invenitur, qui qua par est religione colat et observet! Contumaces in Deum spiritus haec, si unquam alia, prae se fert aetas: in qua rursus invalescit adversus Christum ea vox nefaria: *Nolumus hunc regnare super nos* [1], nefariumque propositum, *Eradamus eum* [2]; nec sane quidquam tam vehementi impetu complures urgent, quam ut ex civili atque adeo ex humana omni consortione pulsum segregent Deum. Quo consceleratae dementiae quamquam usquequaque non proceditur, miserabile tamen est quam multos teneat divinae Maiestatis beneficiorumque eius, partae praesertim a Christo salutis, oblivio. Iamvero hanc tantam vel nequitiam vel socordiam sarciat oportet auctior communis pietatis ardor in cultu Sacrificii eucharistici; quo nihil Deo esse honorabilius, nihil iucundius potest. Nam divina est, quae immolatur hostia; per ipsam igitur tantum augustae Trinitati tribuimus honoris, quantum dignitas eius immensa postulat; infinitum quoque et pretio et suavitate munus exhibemus Patri, Unigenitum suum; eo fit ut benignitati eius non modo agamus gratiam, sed

[1] Luc. XIX, 14.
[2] Ier. XI, 19.

plane referamus. — Duplicemque alium ex tanto sacrificio insignem fructum licet et necesse est colligere. Moeret animus reputando, quae flagitiorum colluvies, neglecto, ut diximus, contemptoque Dei numine, usquequaque inundaverit. Omnino humanum genus magnam partem videtur caelestem iram devocare: quamquam ipsa illa quae insidet, malarum rerum seges, continet iustae animadversionis maturitatem. Excitanda igitur in hoc etiam pia fidelium contentio, ut et vindicem scelerum placare Deum, et auxiliorum eius opportunitatem calamitoso saeculo conciliare studeant. Haec autem videant maxime huius ope Sacrificii esse quaerenda. Nam divinae tum iustitiae rationibus satis cumulateque facere, tum clementiae large impetrare munera possunt homines sola obitae a Christo mortis virtute. Sed hanc ipsam virtutem sive ad expiandum, sive ad exorandum voluit Christus integram permanere in Eucharistia, quae mortis ipsius non inanis quaedam nudaque commemoratio, sed vera et mirabilis, quamquam incruenta et mistica, renovatio est.

237. Ceterum, non mediocri Nos laetitia afficimur, libet enim profiteri, quod proximis hisce annis fidelium animi ad amorem atque obsequium erga Eucharistiae Sacramentum renovari coepisse videantur; quod quidem in spem Nos erigit temporum rerumque meliorum. Multa enim id genus et varia, ut initio diximus, sollers induxit pietas, sodalitates praesertim vel eucharisticorum rituum splendori amplificando, vel Sacramento augusto dies noctesque assidue venerando, vel illatis eidem contumeliis iniuriisque sarciendis. In his tamen acquiescere, Venerabiles Fratres, neque Nobis licet neque vobis; etenim multo plura vel provehenda restant vel suscipienda, ut munus hoc omnium divinissimum apud eos ipsos, qui christianae religionis colunt officia, ampliore

in luce atque honore versetur, tantumque mysterium quam dignissima veneratione colatur. Quapropter suscepta opera acrius in dies urgenda; prisca instituta, sicubi exoleverint, revocanda, ut sodalitia eucharistica, supplicationes Sacramento augusto ad adorandum proposito, sollemnes eius circumductae pompae, piae ad divina tabernacula salutationes, alia eiusdem generis et sancta et saluberrima; omnia praeterea aggredienda, quae prudentia et pietas ad rem suadeat. Sed in eo praecipue est elaborandum, ut frequens Eucharistiae usus apud catholicas gentes late reviviscat. Id monent nascentis Ecclesiae, quae supra memoravimus, exempla, id Conciliorum decreta, id auctoritas Patrum et sanctissimorum ex omni aetate virorum; ut enim corpus, ita animus cibo saepe indiget suo; alimoniam autem maxime vitalem praebet sacrosancta Eucharistia. Itaque praeiudicatae adversantium opiniones, inanes multorum timores speciosae abstinendi causae penitus tollendae; ea enim agitur res, qua nihil fideli populo utilius tum ad redimendum tempus e sollicitis rerum mortalium curis, tum ad christianos revocandos spiritus constanterque retinendos. Huc sane magno erunt momento prestantiorum ordinum hortationes et exempla, maximo autem cleri navitas et industria. Sacerdotes enim, quibus Christus Redemptor Corporis et Sanguinis sui mysteria conficiendi ac dispensandi tradidit munus, nihil profecto melius pro summo accepto honore queant rependere, quam ut Ipsius eucharisticam gloriam omni ope provehant, optatisque sacratissimi Cordis eius obsequendo, animos hominum ad salutiferos tanti Sacramenti Sacrificiique fontes invitent ac pertrahant.

Ita fiat, quod vehementer cupimus, ut praecellentes Eucharistiae fructus quotidie uberiores proveniant, fide,

spe, caritate, omni denique christiana virtute, feliciter accrescente; idque in sanationem atque emolumentum rei quoque publicae: fiat, ut providentissimae Dei caritatis magis magisque eluceant consilia, qui tale mysterium *pro mundi vita* constituit perpetuum.

Quarum Nos rerum erecti spe, Venerabiles Fratres, auspicem munerum divinorum caritatisque Nostrae testem, Apostolicam benedictionem et singulis vobis et vestro cuiusque clero ac populo peramanter impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XXVIII Maii, in praeludio sollemnitatis Corporis Christi, anno MDCCCCII, Pontificatus Nostri vicesimo quinto.

LEO PP. XIII.

XV.

SS. D. N. PII PAPAE X SEU S. CONGREGATIONIS CONCILII, DECRETUM 20 DECEMBRIS 1905 DE COTIDIANA SS. EUCHARISTIAE SUMPTIONE.

238. I. *Sacra Tridentina Synodus*, perspectas habens ineffabiles quae Christifidelibus obveniunt gratiarum divitias, sanctissimam Eucharistiam sumentibus [1], ait: *Optaret quidem sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiae perceptione communicarent.* Quae verba satis aperte produnt Ecclesiae desiderium ut omnes Christifideles illo caelesti convivio cotidie reficiantur, et pleniores ex eo sanctificationis hauriant effectus.

[1] Sess. XXII, cap. VI.

239. Huiusmodi vero vota cum illo cohaerent desiderio quo Christus Dominus incensus hoc divinum Sacramentum instituit. Ipse enim nec semel nec obscure necessitatem innuit suae carnis crebro manducandae suique sanguinis bibendi, praesertim his verbis : *Hic est panis de caelo descendens; non sicut manducaverunt patres vestri manna et mortui sunt: qui manducat hunc panem vivet in aeternum* [1]. Ex qua comparatione cibi angelici cum pane et manna facile a discipulis intellegi poterat, quemadmodum pane corpus cotidie nutritur, et manna in deserto Hebraei cotidie refecti sunt, ita animam christianam caelesti pane vesci posse cotidie ac recreari. Insuper quod in oratione Dominica exposci iubet *panem nostrum cotidianum*, per id SS. Ecclesiae Patres fere unanimes docent, non tam materialem panem, corporis escam, quam panem eucharisticum cotidie sumendum intellegi debere.

240. Desiderium vero Iesu Christi et Ecclesiae, ut omnes Christifideles cotidie ad sacrum convivium accedant, in eo potissimum est ut Christifideles, per sacramentum Deo coniuncti, robur inde capiant ad compescendam libidinem, ad leves culpas quae cotidie occurrunt abluendas, et ad graviora peccata, quibus humana fragilitas est obnoxia, praecavenda : non autem praecipue ut Domini honori ac venerationi consulatur, nec ut sumentibus id quasi merces aut praemium sit suarum virtutum [2]. Unde S. Tridentinum Concilium Eucharistiam vocat *antidotum quo liberemur a culpis cotidianis et a peccatis mortalibus praeservemur* [3].

[1] Ioan., VI, 59.
[2] S. August. Serm. LVII in Matth. *De Orat., Dom.* v. 7.
[3] Sess. XIII, cap. II.

241. Hanc Dei voluntatem priores Christifideles probe intellegentes, cotidie ad hanc vitae ac fortitudinis mensam accurrebant. *Erant perseverantes in doctrina Apostolorum et communicatione fractionis panis* [1]. Quod saeculis posterioribus etiam factum esse, non sine magno perfectionis ac sanctitatis emolumento, Sancti Patres atque ecclesiastici Scriptores tradiderunt.

242. Defervescente interim pietate, ac potissimum postea Ianseniana lue undequaque grassante, *disputari coeptum est de dispositionibus*, quibus ad frequentem et cotidianam Communionem accedere oporteat, atque alii prae aliis maiores ac difficiliores, tamquam necessarias, expostularunt. Huiusmodi disceptationes id effecerunt, ut perpauci digni haberentur qui SS. Eucharistiam cotidie sumerent, et ex tam salutifero sacramento pleniores effectus hauirent; contentis ceteris eo refici aut semel in anno, aut singulis mensibus, vel unaquaque ad summum hebdomada. Quin etiam eo severitatis ventum est, ut a frequentanda caelesti mensa integri coetus excluderentur, uti mercatorum, aut eorum *qui essent matrimonio coniuncti*.

Nonnulli tamen in contrariam abierunt sententiam, Hi, arbitrati Communionem cotidianam iure divino esse praeceptam, ne dies ulla praeteriret a Communione vacua, praeter alia a probato Ecclesiae usu aliena, etiam feria VI in Parasceve Eucharistiam sumendam censebant, et ministrabant.

243. Ad haec Sancta Sedes officio proprio non defuit. Nam per decretum huius Sacri Ordinis, quod incipit *Cum ad aures*, diei 12 mensis februarii anni 1679, Innocentio Pp. XI approbante, errores huiusmodi damnavit et abusus

[1] Act. II, 42.

compescuit, simul declarans omnes cuiusvis coetus, mercatoribus atque coniugatis minime exceptis, ad Communionis frequentiam admitti posse, iuxta singulorum pietatem et sui cuiusque Confessarii iudicium. Die vero 7 mensis decembris anni 1690, per decretum *Sanctissimus Dominus noster* Alexandri Pp. VIII, propositio Baii, purissimum Dei amorem absque ullius defectus mixtione requirens ab iis qui ad sacram mensam vellent accedere, proscripta fuit.

244. Virus tamen ianseniānum, quod bonorum etiam animos infecerat, sub specie honoris ac venerationis Eucharistiae debiti, haud penitus evanuit. Quaestio de dispositionibus ad frequentandam recte ac legitime Communionem Sanctae Sedis declarationibus supervixit; quo factum est ut nonnulli etiam boni nominis Theologi raro et positis compluribus condicionibus, cotidianam Communionem fidelibus permitti posse censuerint.

Non defuerunt aliunde viri doctrina ac pietate praediti, qui faciliorem aditum praeberent huic tam salubri Deoque accepto usui, docentes, auctoritate Patrum, nullum Ecclesiae praeceptum esse circa maiores dispositiones ad cotidianam, quam ad hebdomadariam aut menstruam Communionem; fructus vero uberiores longe fore ex cotidiana Communione, quam ex hebdomadaria aut menstrua.

245. Quaestiones super hac re diebus nostris adauctae sunt et non sine acrimonia exagitatae; quibus Confessariorum mentes atque fidelium conscientiae perturbantur, cum christianae pietatis ac fervoris haud mediocri detrimento. A viris idcirco praeclarissimis ac animarum Pastoribus SS. D. Nostro Pio Pp. X enixae preces porrectae sunt, ut suprema Sua auctoritate quaestionem de dispositionibus ad Eucharistiam cotidie sumendam dirimere

dignaretur; ita ut haec saluberrima ac Deo acceptissima consuetudo non modo non minuatur inter fideles, sed potius augeatur et ubique propagetur, hisce diebus potissimum, quibus Religio ac fides catholica undequaque impetitur, ac vera Dei caritas et pietas haud parum desideratur. Sanctitas vero Sua, cum Ipsi maxime cordi sit, ea qua pollet sollicitudine ac studio, ut christianus populus ad Sacrum convivium perquam frequenter et etiam cotidie advocetur eiusque fructibus amplissimis potiatur, quaestionem praedictam huic Sacro Ordini examinandam ac definiendam commisit.

246. Sacra igitur Concilii Congregatio in plenariis Comitiis diei 16 mensis dec. 1905 hanc rem ad examen accuratissimum revocavit, et rationibus hinc inde adductis sedula maturitate perpensis, ea quae sequuntur statuit ac declaravit:

1. Communio frequens et cotidiana, utpote a Christo Domino et a Catholica Ecclesia optatissima, omnibus Christifidelibus cuiusvis ordinis aut condicionis pateat; ita ut nemo, qui in statu gratiae sit et cum recta piaque mente ad S. Mensam accedat, prohiberi ab ea possit;

2. Recta autem mens in eo est, ut qui ad sacram mensam accedit non usui, aut vanitati, aut humanis ratiotionibus indulgeat, sed Dei placito satisfacere velit, ei arctius caritate coniungi, ac divino illo pharmaco suis infirmitatibus ac defectibus occurrere;

3. Etsi quam maxime expediat ut frequenti et cotidiana Communione utentes venialibus peccatis, saltem plene deliberatis, eorumque affectu sint expertes, sufficit nihilominus ut culpis mortalibus vacent, cum proposito se numquam in posterum peccaturos; quo sincero animi proposito fieri non potest quin cotidie communicantes a

peccatis etiam venialibus, ab eorumque affectu sensim se expediant;

4. Cum vero Sacramenta Novae Legis, etsi affectum suum ex opere operato sortiantur, maiorem tamen producant effectum quo maiores dispositiones in iis suscipiendis adhibeantur, idcirco curandum est ut sedula ad sacram Communionem praeparatio antecedat, et congrua gratiarum actio inde sequatur, iuxta uniuscuiusque vires, condicionem ac officia;

5. Ut frequens et cotidiana Communio maiori prudentia fiat uberioreque merito augeatur, oportet ut Confessarii consilium intercedat. Caveant tamen Confessarii ne a frequenti seu cotidiana Communione quemquam avertant, qui in statu gratiae reperiantur et recta mente accedat;

6. Cum autem perspicuum sit ex frequenti seu cotidiana S. Eucharistiae sumptione unionem cum Christo augeri, spiritualem vitam uberius ali, animam virtutibus effusius instrui, et aeternae felicitatis pignus vel firmius sumenti donari, idcirco Parochi, Confessarii et concionatores, iuxta probatam Catechismi Romani doctrinam [1], christianum populum ad hunc tam pium ac tam salutarem usum crebris admonitionibus multoque studio cohortentur;

7. Communio frequens et cotidiana praesertim in religiosis Institutis cuiusvis generis promoveatur; pro quibus tamen firmum sit decretum *Quemadmodum* diei 17 mensis decembris 1890 a S. Congr. Episcoporum et Regularium latum. Quam maxime quoque promoveatur in clericorum Seminariis, quorum alumni altaris inhiant servitio; item in aliis christianis omne genus ephebeis;

[1] Part. II, c. 63.

8. Si quae sint Instituta, sive votorum sollemnium sive simplicium, quorum in regulis aut constitutionibus, vel calendariis, Communiones aliquibus diebus affixae et in iis iussae reperiantur, hae normae tamquam mere *directivae*, non tamquam praeceptivae putandae sunt. Praescriptus vero Communionum numerus haberi debet ut quid minimum pro Religiosorum pietate. Idcirco frequentior vel cotidianus accessus ad eucharisticam mensam libere iisdem patere semper debebit, iuxta normas superius in hoc decreto traditas. Ut autem omnes utriusque sexus religiosi huius decreti dispositiones rite cognoscere queant, singularum domorum moderatores curabunt, ut illud quotannis vernacula lingua in communi legatur intra Octavam festivitatis Corporis Christi.

9. Denique post promulgatum hoc Decretum omnes ecclesiastici scriptores a quavis contentiosa disputatione circa dispositiones ad frequentem et cotidianam Communionem abstineant.

Relatis autem his omnibus ad SSm̃um D. N. Pium Pp. X per infrascriptum S. C. Secretarium in audientia diei 17 mens. dec. 1905, Sanctitas Sua hoc Em̃orum Patrum decretum ratum habuit, confirmavit atque edi iussit, contrariis quibuscumque minime obstantibus. Mandavit insuper ut mittatur ad omnes locorum Ordinarios et Praelatos Regulares, ad hoc ut illud cum suis Seminariis, Parochis, institutis religiosis et sacerdotibus respective communicent, et de executione eorum quae in eo statuta sunt S. Sedem edoceant in suis relationibus de dioecesibus seu instituti statu.

Datum Romae, die 20 decembris 1905.

† Vincentius Card., Episc. Praenestinus, *Praefectus*.
C. De Lai, *Secretarius*.

XVI.

S. C. INDULGENTIARUM DECRETUM URBIS ET ORBIS 14 FEBRUARII 1906. - QUI COMMUNIONE COTIDIANA UTUNTUR, INDULGENTIAS LUCRARI POSSUNT ABSQUE OBLIGATIONE CONFESSIONIS HEBDOMADARIAE.

247. Sanctissimo Domino nostro Pio Pp. X vel maxime cordi est, ut efficacius in dies propagetur, uberioresque edat virtutum omnium fructus laudabilis illa ac Deo valde accepta consuetudo, qua fideles, in statu gratiae, rectaque cum mente, ad sacram Communionem cotidie sumendam accedant. Quamobrem supplicia plurimorum vota ab Eminentissimo Viro Cardinali Casimiro Gennari delata benigne libenterque excipiens, iis plane cunctis, qui memoratam consuetudinem habent aut inire exoptant, specialem merito gratiam elargiri statuit. Clemens porro Pp. XIII f. r., per decretum huius Sacri Ordinis, sub die 9 decembris 1763, « omnibus christifidelibus, qui frequenti peccatorum Confessione animum studentes expiare, semel saltem in hebdomada ad Sacramentum Poenitentiae accedere, nisi legitime impediantur, consueverunt, et nullius lethalis culpae a se, post praedictam ultimam Confessionem commissae sibi conscii sunt, indulsit ut omnes et quascumque Indulgentias consequi possint, etiam sine actuali Confessione, quae ceteroquin ad eas lucrandas necessaria esset. Nihil tamen innovando circa Indulgentias Iubilaei, tam ordinarii quam extraordinarii, aliasque ad instar Iubilaei concessas, pro quibus assequendis, sicut et alia opera iniuncta, ita et sacramentalis Confessio, tempore in earum concessione praescripto pera-

gantur ». Nunc vero Beatissimus Pater Pius X, omnibus christifidelibus, qui in statu gratiae, et cum recta piaque mente cotidie Sancta de Altari litare consuescunt, quamvis semel aut iterum per hebdomadam a Communione abstineant, prefato tamen f. r. Clementis Pp. XIII Indulto frui posse concedit, absque hebdomadariae illius Confessionis obligatione, quae ceteroquin, ad Indulgentias eo temporis intervallo decurrentes rite lucrandas necessaria exstaret. Hanc insuper gratiam eadem Sanctitas sua futuris quoque temporibus fore valituram clementer declaravit. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, e Secretaria S. Congregationis Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae, die 14 februarii 1906.

A. Card. Tripepi *Praefectus.*

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius* [1].

[1] Ex illo decreto sequitur: 1. Etiam qui non solent nisi quinquies vel sexies infra hebdomadam communicare, privilegio isto fruuntur, quo, exceptis indulgentiis iubilaei, tam ordinarii quam extraordinarii, aliisque ad instar iubilaei concessis, nulla condicio confessionis requiritur ad lucrandas indulgentias etiam plenarias. Ratio videtur: quod, praeter statum gratiae et rectam piamque intentionem, nulla alia dispositio necessario requiratur, simulque quod Eucharistia peccata venialia deleat.

2. *Semel aut iterum*, etiam habitualiter, omitti poterit communio in hebdomada.

3. Qui vero plus quam *semel aut iterum*, omitterent communionem in hebdomada, non possunt huiusmodi privilegio frui, cum gratia concedatur tantum pro quotidiana communione.

XVII.

SACERDOTALE EUCHARISTICUM FOEDUS.

1.

Decretum erectionis.

Petrus, Tituli Sanctorum Quatuor Coronatorum S. R. E. Presb. Cardinalis Respighi SS.mi Dñi Nostri Papae Vicarius Generalis, Romanae Curiae eiusque districtus Iudex Ordinarius, etc.

248. Piam Sacerdotum Sodalitatem, quae inscribitur « Lega Sacerdotale Eucaristica », cuius finis est fideles ad quotidianum vel frequentem usum SS. Eucharistiae inducere, iuxta mentem decreti S. C. Conc. die 20 decembris 1905, quod incipit *Sacra Tridentina Synodus*, Nos auctoritate Nostra ordinaria rite et legitime in Venerabili ecclesia S. Claudii de Urbe penes Congr. Presbyterorum SS. Sacramenti erigimus et canonice erectam esse edicimus. Leges vero seu Constitutiones eiusdem Sodalitatis, quinque articulis conscriptas, triennali experimento probandas esse declaramus.

Datum Romae, ex Aed. Vicariatus, die 27 iulii 1906.

PETRUS Card. Vicarius.

FRANCISCUS Can. FABERI, *Secret.*

2.

Statuta.

249. Art. 1. Romae in ecclesia S. Claudii erigitur associatio sacerdotum sub titulo « Sacerdotalis Eucharistici Foederis ».

Art. 2. Huius associationis finis est propagare usum frequentis et quotidianae Communionis ad normam decreti S. C. Conc. « *Sacra Tridentina Synodus* » die 20 decembris 1905 « de quotidiana SS. Eucharistiae sumptione ».

Art. 3. Huic associationi nomen dare possunt sacerdotes quotquot intendunt frequentis et quotidianae communionis usum in populo christiano provehere.

Art. 4. Ut sodalitas finem consequatur suum sodales impensam operam dabunt apostolatui orationis, verbi et publicationum, hortando scilicet crebris monitionibus fideles ad frequentem quotidianamque communionem necnon spargendo libros atque opuscula, quae hac de re agunt.

Art. 5. Ad finem sodalitatis facilius assequendum sacerdotibus adscriptis tradetur brevis quaedam instructio.

Tanquam huius foederis instrumentum adhibetur periodicum a Patribus Congr. SS. Sacramenti cui titulus: « annales sacerdotum adoratorum » in diversis idiomatibus vulgatum.

3.

Instructio pro Sodalibus Sacerdotalis Eucharistici Foederis ad propagandum pium communionis quotidianae usum.

250. « Parochi, Confessarii et Concionatores, iuxta probatam Catechismi Romani doctrinam (Part. II. C. 63), christianum populum ad hunc tam pium ac tam salutarem usum crebris admonitionibus multoque studio cohortentur » (decret. *Sacra Tridentina Synodus*, 20 dec. 1905).

I. Parochi aliique animarum curam habentes, foederi adscripti, quamprimum incipient populo proponere, quid sit Eucharistia, quando, quomodo, quanto cum amore et

ad quos fines a Domino Nostro Iesu Christo fuerit instituta, necnon quales producat effectus, considerata ut Sacrificium, ut praesentia realis inter homines perpetua, ac praesertim ut animarum cibus.

II. Cum autem ob certa praeiudicia vanosque timores multi a frequentia eucharisticae mensae sese abstineant, Sacerdotes huius foederis sodales haud sint contenti permagna communionis quotidianae beneficia repetere, verum omni studio operam navent, ut illa praeiudicia vanique timores a populo removeantur, eique persuadeant nullam perfectiorem ad licitam quotidianam communionem quam ad hebdomadariam aut menstruam aut annualem requiri dispositionem, i. e. statum gratiae et piam rectamque intentionem, « etsi quam maxime expediat ut frequenti et quotidiana communione utentes venialibus peccatis, saltem plene deliberatis, eorumque affectu sint expertes » (decret. cit.).

III. Ad hunc finem opuscula, quae ad normam supradicti decreti faciliorem communionis quotidianae usum faciunt, conentur copiosissime diffundere.

IV. Praeterea crebro moneant fideles, ut, si quosdam libros, a sanctis auctoribus conscriptos, inveniant, qui alias, praeter duas a supradicto decreto recensitas, ad licitam quotidianam communionem dispositiones requirant, nullo commoveantur modo, sed eis explicent auctores illos huiusmodi scripsisse libros, eo tempore quo S. Sedes supradicto decreto quaestionem de dispositionibus ad communionem quotidianam requisitis nondum dirimerat.

V. Cum vero haud convenienter possit communionis quotidianae usus large propagari, quin prius praxis missae quotidie assistendi propagetur, crebris monitionibus multoque studio cohortentur fideles, ut quotidie incruento adsint sacrificio, cuius praestantiam, excellentiam ac neces-

sitatem eos docebunt, simul atque eos erudient de modo practico eidem assistendi [1].

VI. Ad eum finem large diffundatur aureum illud S. Leonardi a Porto Mauritio opusculum: Thesaurus absconditus S. Missae.

VII. Ut autem quam maiori numero populus huic adstet sacrificio, Parochi aliique animarum curam habentes, campanas, si fieri possit, distinctis intervallis pulsent atque missam celebrent, etiam cum proprio quodam impendio, hora, consideratis anni tempore atque incolarum occupationibus, populo magis opportuna.

VIII. Parochi, ut finem maioris in dies propagationis communionis quotidianae in suis parochiis attingant, data opportuna occasione, sive per se sive per studiosum concionatorem saltem per triduum celebrent spiritualia exercitia.

IX. Disponi autem illud triduum potest sequenti modo: prima die, concionator in meditatione vel concione de malitia, effectibus atque peccati mortalis poenis agat, necnon de lugendo statu peccatorum, quos, ut ad Deum redeant, vehementer hortetur.

Secunda die, dicat de ineffabili D. N. I. C. miseri-

[1] Non possumus heic satis commendare usum Missalis romani, ad christianorum usum in vernaculis linguis translati. Diu enim fideles alio non usi sunt libro, quo melius litanti sacerdoti sese unirent, nec sane absque animae utilitate. In eo etenim preces ac lectiones, non quidem a privato quolibet compositas, verum a Spiritu Sancto inspiratas et ab Ecclesia, tanquam suo sensui doctrinaeque catholicae plane conformes, specialiter approbatas reperiebant; nec insuper tacendum est plerasque huiusmodi orationes iam inde antiquitus fuisse traditas ac mirabilem exhibere dogmatum summam. Haud dubie christianae pietati non parum obfuerunt illi quam plurimi libri sub diversis nominibus vulgati, qui potius individuae privataeque devotioni favent, quam verae atque catholicae pietati; de quo saepe saepius in eucharisticis congressibus clarissimi Praelati necnon sacerdotes conquesti sunt.

cordia, praecipue in institutione sacramentalis Confessionis, quam necessariam cuicumque peccati mortalis conscio demonstret, populum erudiat de conditionibus ad eam rite peragendam necessariis, atque omnes suadeat ut sacramentali absolutione in sanguine Christi peccata sua diluant.

Tertia denique die, meditatio vel concio versetur circa divinam Eucharistiam, de qua explicabit argumentum secundum, prout in art. I dictum est.

X. Peracto triduo, mane diei sequentis, qui, si fieri possit, sit festivus, concionator, occasione communionis generalis, quae numerosissima est exoptanda, cum fervore hortetur populum ut communio illa generalis, hac dumtaxat die haud circumscribenda, pro singulorum occupationibus, quotidie iteretur, praesertim diebus dominicis aliisque de praecepto sollemnitatibus.

XI. Die quo peragitur communio generalis, hora pomeridiana, post ultimam concionem, publicae veneration exponatur SS. Sacramentum, et coram eo parochus recitet orationem pro quotidianae communionis propagatione, ac, unicuique fidelium adstantium exemplari huius orationis distributo, eos incitet ad eam quotidie post sanctam communionem, atque etiam in familia post SS. Rosarium recitandam.

XII. Parochi, postquam in sua parochia usus quotidianae communionis iam inoleverit, non desistant saepissime populum S. Sacrificio adstantem brevi ardentique oratione cohortari, ut communicent. Parati sint semper ad audiendas confessiones. Poenitentibus, quos dispositos invenerint, suadeant ut ad sacram mensam accedant; ac totis viribus nitantur rite eos disponere, quibus aliquid forte deesset.

XIII. Specialissimo autem modo, desiderio communionis quotidianae accendant illa pura atque vanis timoribus vacua puerorum et puellarum corda, cum eos praeparent ad primam communionem; eos, ubi primum sunt capaces, ad eam admittant atque ad eam, si fieri possit, quotidie postea frequentandam incitent.

XIV. Sacerdotes huic foederi adscripti non negligant suos collegas de hac sodalitate certiores facere necnon eos cohortentur ad eam profitendam.

XV. Denique, ut foedus illud perenne sit atque magis in dies promoveatur, periodicum ad sodalium usum Patribus Congr. SS. Sacramenti committitur dirigendum atque vulgandum.

4.

Indulgentiae ac privilegia.

251. I. Sacerdotibus in Eucharisticum Foedus allectis, quatenus simili privilegio alias non gaudeant, conceditur altaris privilegiati personalis indultum ter in hebdomada.

II. Una ante auroram atque una post meridiem hora sacris operari valent.

III. A prima ante auroram hora ad occasum solis, Sacram Synaxim possunt distribuere.

IV. Iniunctis de more peractis, praecipuorum fidei mysteriorum et Mariae Virg. et SS. Apostolorum festivitatibus per annum singulis, lucrari possunt plenariam indulgentiam vel defunctis applicabilem.

V. Intra celebrationem triduanae supplicationis iuxta pii Foederis tabulas habendae, post peractam Communionem generalem, christiano adstanti populo, plenaria

adiecta indulgentia, cum Crucifixo ac sub Crucis unico signo benedicere valent.

VI. Quoties iuxta fines Foederis sacerdotalis, pietatis quodvis sive caritatis opus adimpleant, lucrantur indulgentiam 300 dierum.

VII. Confessariis in hoc Foedere inscriptis, facultas conceditur communicandi semel in hebdomada plenariam indulgentiam poenitentibus, qui quotidie vel quasi quotidie ad Sacram Synaxim accedere consueverunt.

XVIII.

SS. D. N. PII PP. X. BREVE 10 AUGUSTI 1906 PRIVILEGIIS FOVENS CONSOCIATIONEM « SACERDOTALIS EUCHARISTICI FOEDERIS ».

252. Romanorum Pontificum Decessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes, pias societates ad pietatis et caritatis opera exercenda institutas, peculiaribus honoribus ac privilegiis cohonestare satagimus, ut iis auctae uberiores in Dominico agro excolendo fructus nanciscantur. Harum in numerum minime Nos latet iure ac merito esse accensendam piam sacerdotum associationem quae sub titulo « Sacerdotalis Eucharistici Foederis » in hac Alma Urbe Nostra ad S. Claudii canonice instituta exsistit, ideoque dilecti filii Edmundi Tenaillon Procuratoris Generalis Instituti Sacerdotum SSmi Sacramenti votis ultro libenterque annuentes, associationem ipsam tam frugiferam, quae hisce potissimum tam gravibus temporibus, iuxta tenorem Decreti a Congregatione Sacrae Tridentinae Synodi interpretationi praeposita, die XX decembris mensis

anno superiore editi, exauspicato intendit ad Communionis frequentis et cotidianae usum inter fideles provehendum, singularibus gratiis atque indulgentiis decorandam existimavimus. Quare de omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis nunc et in posterum in dictum Eucharisticum Foedus allectis sacerdotibus, quatenus simili privilegio non gaudeant, altaris privilegiati personalis indultum ter in hebdomada, servatis servandis, concedimus; nec non ut una ante auroram, atque una post meridiem hora sacris operari, et similiter a prima ante auroram hora ad occasum solis, Sacram Synaxim distribuere, atque iniunctis de more peractis, praecipuorum fidei mysteriorum et Mariae Virg. et SS. Apostolorum festivitatibus [1] per annum singulis, plenariam indulgentiam vel defunctis applicabilem lucrari; et intra celebrationem triduanae supplicationis iuxta pii Foederis tabulas habendae, post peractam Communionem Generalem, Christiano adstanti populo, plenaria adiecta indulgentia, cum Crucifixo ac sub Crucis unico signo, servatis ritu formulaque praescriptis, benedicere licite possint ac valeant. Insuper quoties iuxta fines Foederis sacerdotalis, pietatis quodvis sive caritatis opus adimpleant, de numero poenalium dierum, in forma Ecclesiae solita, iisdem allectis

[1] Festivitates, de quibus in brevi, intelliguntur iuxta decretum S. R. C. 22 aug. 1893, n. 3810: 1. *Festivitates praecipuorum fidei mysteriorum*: Nativitas Domini, Circumcisio, Epiphania, Pascha, Ascensio, Pentecostes, SS.mae Trinitatis et Corporis Christi festum, Transfiguratio; 2. *Festa B. M. V. praecipua:* Immaculata Conceptio, Purificatio, Annuntiatio, Visitatio, Assumptio, Nativitas; 3. *Festa SS. Apostolorum:* S. Mathiae, 24 febr.; SS. Philippi et Iacobi, 1 maii; SS. Petri et Pauli, 29 iunii; S. Iacobi, 25 iulii; S. Bartholomaei, 24 augusti; S. Matthaei, 21 sept.; SS. Simonis et Iudae, 28 oct.; S. Andreae, 30 nov.; S. Thomae, 21 dec.; S. Iohannis Ev. 27 dec.

in ipsum Foedus, nunc et in posterum, sacerdotibus trecentos expungimus. Tandem confessariis rite probatis eodem in Sacerdotali Eucharistico Foedere nunc et posterum inscriptis, facultatem concedimus communicandi semel in hebdomada [1] plenariam indulgentiam poenitentibus qui cotidie vel quasi cotidie ad Sacram Synaxim accedere consueverunt. Praeterea Ap. Nostra Auctoritate praesentium vi, perpetuumque in modum, Associationem memoratam sub titulo « Sacerdotalis Eucharistici Foederis » in Urbe ad S. Claudii canonice institutam in Archiassociationem, sive primariam, cum solitis privilegiis erigimus. Archisodalicii autem eiusdem Moderatori et officialibus praesentibus et futuris, ut ipsi alias eiusdem nominis atque instituti societates in universo terrarum orbe canonice erectas sive in posterum erigendas, servatis Clementis PP. VIII Praedecessoris Nostri r. m. aliisque Apostolicis Ordinat. desuper editis, sibi aggregare illisque omnes et singulas indulgentias peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes ipsi Archisodalicio a S. Sede concessas et aliis communicabiles, communicare licite possint ac valeant, Apostolica item Nostra Auctoritate praesentium vi facultatem perpetuo concedimus et largimur. Decernentes praesentes Litteras firmas, validas et efficaces semper exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque illis ad quos

[1] Haec sunt intelligenda de indulgentia semel in hebdomada lucranda, minime vero de facultate confessario concessa semel tantum in hebdomada communicandi poenitentibus lucrandam indulgentiam plenariam. Itaque non est necessarium ut confessarius singula vice hanc indulgentiam communicet, sed potest ipse semel pro pluribus hebdomadibus communicare. — Quoad verba : « qui quotidie vel quasi quotidie ad S. Synaxim accedere consueverunt », recolas quae supra diximus in annotationibus ad decret. S. C. Indulg. « *Sanctissimo Domino* » 14 febr. 1906. docum. XVI.

spectat et pro tempore quomodolibet spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum esse et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstant. Constitutionibus et Ordinat. Apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris die x augusti MCMVI, Pontificatus Nostri Quarto.

Pro D. Card. MACCHI

NICOLAUS MARINI, *Subst.*

XIX.

DECRETUM S. CONGREG. CONCILII DE S. COMMUNIONE INFIRMIS NON IEIUNIS.

253. Post editum de frequenti et quotidiana SS. Eucharistiae sumptione decretum die 20 mensis Decembris 1905, concessasque a SSmo D. N. PIO PP. X die 30 mensis Maii eiusdem anni indulgentias omnibus Christi fidelibus, qui certas preces devote recitaverint pro quotidianae Communionis propagatione; post additum praeterea decretum *Urbis* et *Orbis,* die 14 mensis Februarii 1906 a S. C. Indulgentiarum et Reliquiarum, cuius decreti vi possent Christi fideles per quotidianam Communionem lucrari omnes indulgentias, absque onere confessionis hebdomadariae, vix dicere est, quanta laetitia benignae huiusmodi S. Sedis dispositiones exceptae sint, praesertim ab Epi-

scopis et moderatoribus religiosorum Ordinum. Excitato inde studio fovendae pietatis, quaesitum est, si quo forte modo consuli posset aegrotis diuturno morbo laborantibus et Eucharistico Pane haud semel confortari cupientibus, qui naturale ieiunium in sua integritate servare nequeant. Quare supplices ad hoc preces delatae sunt SSmo D. N. Pio PP. X; qui, re mature perpensa auditoque consilio S. Congregationis Concilii, benigne concessit ut infirmi qui iam a mense decumberent absque certa spe ut cito convalescant, de confessarii consilio SSmam Eucharistiam sumere possint semel aut bis in hebdomada, si agatur de infirmis qui degunt in piis domibus, ubi SSmum Sacramentum adservatur, aut privilegio fruuntur celebrationis Missae in Oratorio domestico; semel vero aut bis in mense pro reliquis, etsi aliquid per modum potus antea sumpserint, servatis de cetero regulis a Rituali Romano et a S. Rituum Congregatione ad rem praescriptis. Praesentibus valituris, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, die 7 mensis Decembris 1906.

† Vincentius Card. Episc. Praenestinus,
Praefectus.

C. De Lai, *Secretarius.*

Annotationes.

254. Quaestio de S. Communione infirmis non ieiunis iam fuerat S. C. Concilii die 15 septembris 1906 proposita, minime autem decisa, ea, ut videtur, ratione quod, cum ex hodierna disciplina ad S. Officium pertineat rem decernere, S. Pontifex iusserit idem S. Officium consultum

adiri, ne qua parte futura gratia displiceret. Ex responsione autem « *iuxta mentem* » iam coniici poterat rem mox fore decisam.

255. Gratia, de qua in praesenti decreto, offertur non aegrotis qui in periculo mortis versantur — iis enim iam providetur in Rituali Romano, tit. IV, c. IV, n. 3. et 4. —, verum qui diuturno morbo laborant. Iamvero concessionis verba sunt diligenter ponderanda. Tres conditiones requiruntur ut aegroti huiusmodi indulto gaudeant: 1. **ut infirmi iam a mense decumbant**. *a*) *Infirmi* intelliguntur illi quorum ipsa valetudo ita male est affecta, ut naturale ieiunium servare nequeant, quatenus notabilem experirentur difficultatem aut serium incommodum [1]. *b*) *Infirmi a mense decumbentes*, quo nomine veniunt non modo infirmi qui in lecto decumbunt, sed etiam qui « quamvis gravi morbo correpti et ex medici iudicio naturale ieiunium servare non valentes, nihilominus in lecto decumbere non possunt, aut ex eo aliquibus horis diei surgere queunt » [2]. Plene assentimur R. P. Vermeesch scribenti: « Immo, si, favente tempestate, per paucas horas circa meridiem egredi infirmus potuerit, eum nihilominus inter decumbentes habebimus, memores proverbii parum pro nihilo computatur [3] ». Pariter eodem nomine venire censemus illos, quibus non ieiunis ipsa senectus impediret accessum ad sacram communionem. Senectus ipsa morbus. At aliter iudicandum arbitramur, donec S. Sedes iis pro-

[1] « Communis doctrina theologorum est, hoc ita intelligi, ut ne aegroto quidem ex mero libitu liceat laedere ieiunium ante Sacram Communionem pro Viatico sumendam, sed tunc tandem, quando commode non possit sumere ieiunus » Lehmkuhl, t. 1, n. 161.

[2] S. C. C. 6 mart. 1907. Eamdem sententiam iam antea propugnavimus in period. *Nouvelle Revue théolog.* t. 39, p. 160.

[3] Periodica, t. II, p. 181.

videret, de illis infirmis, qui non decumbunt ac per vias circumeunt, sed ex infirmitate naturale ieiunium in sua integritate servare nequeunt. Ipsi enim non gaudent hoc indulto, ut patet ex terminis; unde ipsis aliud non praesto est remedium, nisi ut a S. Officio consuetum impetrent indultum [1]. Praeterea *spatium mensis*, de quo agitur, moraliter intelligendum est, ita ut sufficiat si per quatuor plenas hebdomadas aegrotaverint [2].

256. 2. **Absque certa spe ut cito convalescant.** Certa spes moralem postulat certitudinem; ideo si medicus, cuius iudicium hac in re sane magni ponderis erit, dubius haeret, iam certa spes non adest; e contra si convalescentiam praenuntiat, nisi aliquid praeter expectationem intervenerit.

Cito convalescere iterum censetur iuxta moralem existimationem, qui intra octiduum convalescentiam incipiet, nulla facta distinctione inter aegrotos quibus ex concessione semel vel bis in hebdomada communio permittitur et alios quibus semel tantum vel bis in mense conceditur. Menti namque Ecclesiae plane congruit, uti ex concessione constare potest, ut aegrotus nullus ultra mensem SS. Eucharistia privetur [3].

257. 3. **De confessarii consilio.** S. Congregatio ite-

[1] Cf. *Nouv. Revue théol.* l. c. p. 162.

[2] Cf. quoque Vermeersch, l. c. p. 179.

[3] Ad rem eleganter animadvertit Vermeersch. cit. p. 180: « Ne existimes tamen opus esse ut aegrotus per mensem iam usu Eucharistiae caruerit: namque tam is qui per modum viatici communicaverit non ieiunus servare, quam ille qui per mensem Eucharistiam ex devotione acceperit, uterque, inquam, praesenti fruuntur indulto, dummodo per mensem decubuerint morbo affecti. Observas etiam agi de spe quae convalescentiam respicit, non autem copiam ieiunandi. Unde quamvis mox futurum sit, ut aegrotus possit manere ieiunus, privilegii usu non excidit, dummodo ne morbus ipse post mensem ad finem omnino vergat ».

rum atque iterum confirmat ea quae in decreto « *Sacra Tridentina Synodus* » statuerat. Confessarii inde est recognoscere poenitentis dispositiones et simul impedimentum quod ieiunio obstet [1]. Non tamen omnibus aegrotis non ieiunis eadem conceditur SS. Eucharistiae frequentia; sed aliqua distinctio instituitur:

258. 1. *SS. Eucharistiam sumere possunt semel aut bis in hebdomada, si agatur de infirmis qui degunt in piis domibus, ubi SS. Sacramentum adservatur, aut privilegio fruuntur celebrationis Missae in oratorio domestico.* De illis qui degunt in piis domibus, i. e. monasteriis, conservatoriis, seminariis, collegiis, hospitiis etc., nulla est difficultas; cum oratorium saltem sit semi-publicum, et ideo non modo ibi degentibus, verum et hospitibus, conceditur communio hebdomadaria vel semi-hebdomadaria. Insuper si agitur de monialibus clausurae papali subiectis, confessarius ingredi clausuram poterit [2]. Concessio autem facta, iis qui oratorio domestico fruuntur, non ita late patet, sed restringitur ad illos dumtaxat qui sunt indultarii seu privilegiati atque ex privilegio praecepto missae audiendae satisfaciunt; minime vero aliis personis suffragatur [3].

259. 2. *Semel vero aut his in mense pro reliquis*, i. e. pro iis qui in piis domibus non degunt, aut non fruuntur indulto oratorii domestici. Huius autem discriminis inter duas illas personarum classes duplex afferri potest ratio:

[1] Quoad hoc ultimum sane medici iudicio uti potest; at ipsius erit, non medici, rem iudicare.

[2] Hic animadvertendum est confessarium ingredi clausuram posse, quoties monialis communicare consueverit, sive illa decumbat in lecto, sive propter infirmitatem retineatur in cubiculo.

[3] Hoc deducitur ex responsione S. C. Rit. 10 febr. 1906. S. Congr. interrogata utrum necne, de sola Ordinarii licentia, sacram communionem in privatis oratoriis ministrare liceret, respondit: licere ut ministretur indultariis; minime vero aliis sine indulto apostolico.

quia in domibus ubi celebratur missa, cum minore incommodo sacerdos SS. Eucharistiam distribuere valet, nec timendum est, ne ex nimis frequenti delatione per vias plateasve de reverentia erga SS. Sacramentum aliquid detrahatur [1].

260. 3. *Etsi aliquid per modum potus antea sumpserint.* Haec clausula *per modum potus* iam declaratur ex responsione S. Officii 7-10 sept. 1897: « Respondetur ad mentem ut in Abellinen. 4 iunii 1893 ». Ex responsione autem in Abellin. permittitur sumere, per modum potus, iusculum, caffaeum vel alium cibum liquidum, quamvis mixtum parte quadam solida, dummodo ne pereat liquida cibi qualitas. His ergo uti possunt aegroti quibus licet communicare non ieiunis.

XX.

S. CONGREGATIONIS INDULGENTIARUM LITERAE.

R.me Domine,

261. Decretum de quotidiana SSmae Eucharistiae sumptione a S. Congr. Concilii anno 1905 sub die 20 Decembris evulgatum, quanto piorum fidelium plausu et quam ingenti animi gaudio sit exceptum, apprime testantur epistolae quamplurimae, quae ad hanc Apostolicam Sedem undique sunt delatae, ex quibus eruitur in pluribus locis hanc piam et saluberrimam praxim quotidianae Communionis suscipiendae uberes fructus edere coepisse, et

[1] Ex decreto S. R. C. 7 febr. 1874, n. 3322, constat permitti SS. Eucharistiae delationem cum minori sollemnitate infirmis qui degunt in piis domibus aut in domo privata, iu qua ex indulto habetur oratorium.

in posterum uberiores quoque in christiano populo fore edituram. Et meritum: siquidem refrigescente hominum pietate, procul dubio remedium nullum aliud efficacius excogitari potest, quo elanguentia christianorum corda ad Deum redamandum vividius excitentur quam frequens et quotidianus ad sacram Synaxim accessus, in qua Ille sumitur, qui fons est ardentissimae caritatis.

Quapropter Summus Pontifex, qui valde gavisus est de huiusmodi salutari fructu hucusque percepto, vehementer exoptans, ut ipse iugiter perseveret, imo maiora in dies incrementa suscipiat, mihi munus demandavit Amplitudinem tuam et totius Orbis Catholici sacrorum Antistites hortandi, ut coeptis insistentes omnem impendant operam, quo Christifideles frequentius, imo quotidie, sacram Eucharistiam sumant; hoc enim divino Convivio supernaturalis eorumdem vita indesinenter alitur et efflorescit.

Ipse vero Beatissimus Pater ratus ad hunc optatum finem assequendum admodum conferre, si christiani populi assiduis precibus una simul effusis dulcissimam Deo vim inferant; in votis habet, ut quotannis, si fieri poterit, in singulis Cathedralibus Ecclesiis, infra Octavam solemnitatis Corporis Christi, vel si locorum et personarum adiuncta aliter expostulaverint, alio anni tempore a Rmis Episcopis statuendo triduanae Supplicationes celebrentur iuxte methodum heic subiectam:

262. I. Supplicationes semper peragantur feria VI, sabbato et die Dominica vel immediate post solemnia Corporis Christi, vel alio tempore, uti supra relatum est. Hisce vero singulis diebus sermo habebitur, quo populus edoceatur de ineffabili Eucharistiae Sacramenti praestantia, et potissimum de animi dispositionibus ad illud rite suscipiendum.

Hoc expleto, publicae venerationi exponatur SSm̃a Eucharistia, eaque coram sequens recitabitur oratio :

« O dulcissime Iesu, qui in hunc mundum venisti, « ut omnes animas vita ditares gratiae tuae, ad quam « in illis servandam simulque fovendam in augustissimo « Eucharistiae Sacramento salutare pharmacum earum « infirmitatibus sanandis, et cibum divinum debilitati « sustinendae temetipsum quotidie praebes, Te supplices « deprecamur, ut super eas sanctum tuum spiritum be- « nignus effundas, quo repletae, lethali labe si quae sint « inquinatae, ad Te revertentes, vitam gratiam pec- « catis deperditam recuperent; quae vero, Te misericor- « diter largiente, iam Tibi adhaerent, quotidie, prout « cuique dabitur, ad tuam caelestem Dapem devote ac- « cedant, qua roboratae, venialium culparum a se quo- « tidie admissarum, antidotum sibi comparare, vitamque « gratiae alere valeant, sicque magis magisque emun- « datae, sempiternam in coelis beatitudinem consequan- « tur. Amen » [1].

[1] **Ex Audientia Sanctissimi.** — SS.mus Dñus Noster, cum ipsi maxime cordi sit ut usus quotidianae Communionis tam salubris ac Deo acceptus, in christiano populo, Christo Domino adiuvante, ubique propagetur, omnibus Christifidelibus qui praefatam orationem devote recitaverint, tercentum dierum indulgentiam quotidie lucrandam; eis vero qui per mensem integrum id egerint, atque die, proprio arbitrio eligendo, sacramento poenitentiae expiati sacraque Communione refecti, publicum oratorium visitaverint ac iuxta intentionem Sanctitatis Suae oraverint, plenariam indulgentiam benigne concessit. Quas indulgentias Animabus etiam in Purgatorio detentis profuturas declaravit. Praesentibus in perpetuum valituris, contrariis quibuscumque non obstantibus. In quorum fidem etc.

CASIMIRUS Card. GENNARI.

Praesens Rescriptum exhibitum fuit huic S. Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita. In quorum fidem etc.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. C. die 3 iunii 1905.

D. PANICI, *Archiep. Laodicen.*, Secret.

Dein vero, post cantum hymni « Tantum ergo » populo Benedictio SSmi Sacramenti elargiatur.

